Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/tractatusdefonti0000gvan

TRACTATUS DE FONTIBUS REVELATIONIS NEC NON DE FIDE DIVINA.

TRACTATUS

DE FONTIBUS REVELATIONIS

NEC NON

DE FIDE DIVINA

AUCTORE

G. VAN NOORT

PAROCHO AMSTELODAMENSI

OLIM S. THEOL. IN SEMINARIO WARMUNDANO PROFESSORE

EDITIO TERTIA RECOGNITA

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ALMA COLLEGE
216
LIBRARY
~~379~~
N738
Alma, California

1920

SUMPTIBUS SOCIETATIS EDITRICIS ANONYMAE
(ANTEA PAULI BRAND)
BUSSUM
IN
HOLLANDIA

3443

EVULGETUR

ULTRAJECTI,
die 12a Martii 1920

DR. J. TH. BEYENS,
ad hoc dep.

TRACTATUS

DE FONTIBUS REVELATIONIS .

Superiorum tractatuum, *de vera Religione* scil. et *de Ecclesia*, 1. generalis conclusio fuit, Christum, Dei legatum, coelestem doctrinam hominibus attulisse et ecclesiam catholicam, indefectibilitate et infallibilitate auctam, instituisse ad hanc suam doctrinam perpetuo conservandam et praedicandam. Hinc statim inferes, praedicationem ecclesiae pro tempore viventis cuilibet generationi esse regulam fidei, ab ipso Christo constitutam. Praedicationem, dico, ecclesiae *pro tempore viventis;* nam ét a voluntate Christi alienum ét per se impossibile est, ut homines saeculi vigesimi fidem suam immediate discant a praedicatione ecclesiae v.g. secundi vel decimi saeculi. Sed quemadmodum patres nostri, quid credere deberent, ab ecclesia sui temporis audierunt, ita nos lege Christi obligamur audire ecclesiam praesentem. Ecclesiam intellege magisterium ecclesiasticum, i. e. episcopatum romano-catholicum, qui, collegium petro-apostolicum continuando, pleno jure participat tum mandato, tum promissione Domini: „Docete omnes gentes... docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis; et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi" [2].

Nunc autem, quum nemo det quod non habet, oritur quaestio, undenam summus pontifex et episcopi *hodierni* accipiant doctrinam

---

[1] Speciales de hac materia tractatus ediderunt e.g. MELCHIOR CANO, (†1560) *De Locis theologicis;* BELLARMINUS, *De Verbo Dei;* J. B. FRANZELIN, *Tract. de divina Traditione et Scriptura*, Romae, Ed. 3, 1882; J. J. BERTHIER, O. P., *De Locis theologicis*, Taurini, 1888; H. LAMBRECHT, *De Locis theologicis*, Gandavi, 1890; L. DE SAN, s. J., *Tract. de divina Traditione et Scriptura*, Brugis, 1903; S. DI BARTOLO, *Nuova esposizione dei criteri teologici*, (editio 2a, per *s. Cong. Ind.* permissa) Romae, 1904. — [2] *Mt.* **28**, 19—20.

Christi, quam nobis cunctisque gentibus praedicare debent? Et quum ab una parte manifestum sit, eos ipsum Christum et apostolos per Spiritum s. docentes propriis auribus non audivisse, ab alia parte constet, doctrinam christianam iis non de novo revelari, remanet ut doctrinam Domini accipiant *traditione* superiorum generationum.

2. Nomen *traditionis* diversimode sumitur. Vel enim accipitur *objective*, pro ipsa re seu doctrina, quae ab antiquis temporibus ad nos pervenit; vel *active*, pro actu aut serie actuum, quibus doctrina illa ad nos transmissa est; vel denique *complexe* pro doctrina transmissa una cum ejus transmissione.

Dicendo magisterium hodiernum doctrinam christianam accipere traditione, vocem „traditionis" sumimus in sensu activo, pro actibus quibus depositum fidei ab organis revelationis, Christo et apostolis, ad nostra tempora devenit.

Porro in his actibus duo distinguere necesse est: actus quibus depositum doctrinae per organa revelationis definitive constituitur: *traditio (activa) constitutiva;* et actus quibus depositum, jam definitive constitutum, a primis acceptoribus ad subsequentes et posteros transfunditur: *traditio* (*activa*) *conservativa*.

Traditio *constitutiva* triplici modo concipi potest, aut ita ut revelatio tota, quanta conservari debet, sub influxu et cautione divina litteris consignetur, aut ita ut de tota doctrina nihil Deo auctore scribatur, aut denique ita ut doctrina partim viva tantum voce ab organis revelationis manifestetur, partim vero Deo inspirante scribatur.

Traditio *conservativa* iterum diversis modis concipi potest; nec necessario sequitur modum traditionis constitutivae. Nam in hypothesi depositi, ex toto vel ex parte viva tantum voce constituti, haud necesse est, etiam acceptores tum immediatos tum posteros a scribendo abstinuisse, quum nihil impediat quominus doctrina, a praeconibus revelationis oretenus tantum intimata, deinceps hominum industria litteris consignetur, imo a multis diversis temporibus, locis, modis consignetur.

Vides traditionem in *sensu lato*, quem hucusque adhibuimus,

aequaliter comprehendere traditionem per scripta et traditionem sine scripto seu oralem.

3. His praenotatis principalis quaestio est contra protestantes de *modo traditionis constitutivae*. Illi siquidem, supponendo doctrinam christianam totam, quanta conservari debuit, Deo inspirante fuisse conscriptam, *s. Scripturam* venerantur ut *unicum fontem revelationis*, i. e. ut unicum promptuarium authenticum, unde doctrina coelestis seu verbum Dei accipi possit. Contra ecclesia catholica profitetur, doctrinam salutarem nec sola Scriptura definitive apud ecclesiam depositam esse, nec totam Deo auctore esse conscriptam, et ita praeter traditionem scriptam etiam agnoscit traditionem oralem, quae Traditio simpliciter, in *sensu restricto*, vocari solet. *Conc. Vatic.*: „Supernaturalis revelatio secundum universalis ecclesiae fidem continetur in libris [Deo auctore] scriptis et sine scripto [inspirato] traditionibus"[1]. Agnoscit itaque *duos fontes revelationis*: inspiratam *Scripturam* et *Traditionem* divino-apostolicam. „Traditionem" nunc intellege in sensu complexo pro doctrina, orali praedicatione in depositum fidei quondam collocata et nobis fideliter conservata (quin tamen de modo hujus conservationis quidquam asseratur).

4. Hic autem recollige alium errorem protestantium, non minus fundamentalem, circa regulam fidei. Quum enim non agnoscant perenne magisterium ecclesiae, divinitus institutum et divina auctoritate praeditum, docent *s. Scripturam*, unicum fontem revelationis, simul esse *unicam regulam fidei*, unicam mensuram authenticam, qua fides christianorum regitur et secundum quam singuli, quantum fieri potest immediate, objectum materiale fidei suae demetiri debent. Dico: unicam regulam seu mensuram *authenticam*. Non enim infitiantur, plerosque homines fidem suam proxime suscipere ex institutione parentum et praedicatione „ministrorum," imo ipsi formulas seu „confessiones" fidei condunt; sed dicunt, nec praedicationem ministrorum quantumvis solemnem et unanimem, nec

[1] Const. *De fid. cath.* cp. 2.

confessiones „ecclesiae" per se ipsas valere ad plenam certitudinem praestandam; proinde cuivis homini liberum esse, imo obligationem incumbere inquirendi pro viribus, num et quousque confessio ecclesiae Scripturae respondeat; ita ut quilibet privatus a confessione „ecclesiae" recedere possit ac debeat, quamprimum ipse judicaverit, confessionem non reddere genuinum sensum Scripturae[1]. Vides ex sententia protestantium publicam praedicationem et solemnem confessionem „ecclesiae" eodem fere censu venire, quo apud catholicos venit institutio parentum vel cujusvis doctoris privati. Generatim loquendo pro pueris ac rudioribus legitima praesumptio erit, confessionem suae sectae Scripturae convenire; quamdiu haec praesumptio perstat et opportunitas propriae inquisitionis deficit, eam tuto sequuntur; nihil ultra. Confessio provisorie ligare potest, *quia et quatenus praesumitur* verbo Dei scripto concordare; sed intrinsecam et absolutam auctoritatem non habet, quia non constat divinitus, *quod* Scripturae respondet.

5. Longe alia est doctrina ecclesiae catholicae. Certe fatetur, fidem nostram necessario respondere debere verbo Dei, quale prostat in fontibus revelationis; proinde Scripturam (una cum Traditione) esse veram et infallibilem regulam fidei; sed simul asserit, dari adhuc aliam regulam fidei aeque infallibilem, praedicationem scil. magisterii ecclesiastici. Magisterium ecclesiae, quia in praedicanda doctrina christiana per assistentiam s. Spiritus infallibilitate pollet, per se ipsum cunctis plenam fidem facit, per se ipsum absolute ligat, ita ut nemo umquam causam objective legitimam habere possit ab ejus doctrina recedendi, sicut nec quisquam causam habere potest recedendi a vera doctrina Scripturae.

Porro si ex Christi voluntate *duae* dentur *regulae fidei*, ordo aliquis inter eas exsistere debet Ordo autem divinitus institutus est hic, ut praedicatio ecclesiae credentibus sit regula fidei proxima, Scriptura vero et Traditio, ex quibus praedicatio ecclesiae hauritur, regula fidei remota seu mediata.

---

[1] Dr. BAVINCK: „De eenvoudigste geloovige kan en mag met de Schrift in de hand desnoods tegen heel eene kerk zich verzetten, gelijk Luther deed tegen Rome" (*Geref. Dogm.* I, p. 399).

Praedicatio ecclesiae est *regula fidei proxima*, quia singuli fideles qua tales, sive rudes sint sive docti, objectum materiale suae confessionis immediate ex ea mensurare ét tuto possunt ét omnino debent, quin iis qua fidelibus, i.e. ad fidem suam regulandam, umquam incumbere possit obligatio perscrutandi Scripturam et Traditionem. Siquidem vi charismatis infallibilitatis divinitus cautum est, ne praedicatio ecclesiae vel in minimo a Scriptura et Traditione recedat. **6.**

Scriptura et Traditio sunt *regula fidei remota*, quia immediate non fidem credentium sed praedicationem magistrorum regulant. Etsi enim lectio s. Scripturae et studium Traditionis etiam iis, qui authentico magisterio non funguntur, multum utilitatis afferre, imo ad alios fines (praeter fidem suam regulandam) necessaria esse queunt, voluntas Dei Scripturas non ordinavit ad hoc ut privatus quisque fidem suam ex iis conquirat, sed magisterium ecclesiae instituit, ut assistente Spiritu s. eas tuto conservet et fideliter explicet. Sequitur, quemlibet christianum, qui, scrutando Scripturam aut Traditionem, in iis doctrinam se invenisse putaret, praedicationi ecclesiae vere et certo contrariam, dogma ecclesiae propriae inventioni praeferre illico debere; non quasi verbum ecclesiae verbo Dei praevaleat, sed quia divinitus certum est, sensum dogmati catholico adversum, non esse genuinum s. Scripturae sensum, non esse verbum Dei. **7.**

Haec, quae de praedicatione infallibilis ecclesiae fidem nostram regulante summatim perstrinximus, maxima parte jam constant ex tract. *de Ecclesia*[1]; infra autem, ubi de agnoscendis et explicandis Scriptura et Tradititione sermo erit, majorem lucem accipient; unde hoc loco non nisi pro pleniori intellegentia tum veritatis catholicae tum erroris protestantici memorata sunt.

Venimus itaque ad doctrinam de *fontibus revelationis*. Exsistentiam duorum fontium et praecipua, quae de eorum natura et usu tenenda sunt, testimonio ecclesiae accipimus. Undenam enim tutius **8.**

[1] Cfr. art. de institutione hierarchiae (cap. II, art. I et II) et imprimis de infallibilitate (cap. III, art. I) cum suo consectario de regula fidei (nº 100.)

disceremus vasa, thesaurum divinae revelationis continentia, quam ab ea, cui thesauri illius conservatio et dispensatio divinitus est concredita? Indubium siquidem est, infallibilitatem ecclesiae, quam alibi probavimus, praeprimis complectere quaestiones de promptuariis, ex quibus doctrina christiana hauritur. Verum doctrina ecclesiae explicanda, ordinanda, variis argumentis probanda est.

9. Praesens tractatus, qui secundum praedicta in duo capita, alterum de *s. Scriptura*, alterum de *s. Traditione* recidit, ab aliis inscribitur de *verbo Dei;* et differentia in eo tantum est, quod hi solum contentum, nos insimul continentia nominamus. Inscribitur adhuc de *Regula fidei,* qui titulus recte adhibetur si disputatio praeter Scripturam et Traditionem etiam praedicationem ecclesiae complectitur, secus vero minus conveniens videtur. Etsi enim Scriptura et Traditio, quum fidem nostram remote regulent, regula fidei vocari possunt, consultius videtur nomen illud reservare praedicationi ecclesiae; siquidem nomine regulae illud proprie designari solet, cui res regulanda seu mensuranda immediate comparatur. Denique inscribitur etiam de *Locis theologicis.* Sedes seu armentaria, e quibus quaelibet scientia argumenta sua haurit, inde ab Aristotele, hujus scientiae *loci* (τόποι) audiunt. Quum igitur theologia argumenta sibi propria ultimo non nisi ex Scriptura et Traditione mutuare possit, duo illa prompturaria, quae respectu ecclesiae et cujuslibet hominis fidelis sunt fontes revelationis et fidei, per comparationem ad scientiam theologicam merito vocantur *loci.*

Quodsi theologi plures, imo, duce Cano, decem locos enumerant, res explicatur ex eo, quod locis maxime fontalibus *derivatos*[1], locis propris *communes*[2] adjungunt.

[1] Loci *proprii* (i. e. quibus sola theologia utitur,) sed *derivati* sunt *consensus ecclesiae dispersae, concilia, summi pontifices, ss. Patres et theologi.* Hos derivatos vocamus, non quia ecclesia et magisterium ecclesiae auctoritatem suam a Scriptura mutuat, sed quia doctrina quam proponunt, ex Scriptura et Traditione derivatur.

[2] Loci *communes* (quibus praeter theologiam etiam aliae disciplinae utuntur) sunt *lumen rationis, philosophi, historici,* qui tamen ad unum np. rationem naturalem facile reducuntur.

CAPUT I.

De s. Scriptura

10. *S. Scriptura* (s. Litterae, s. Biblia) ad tramites concilii vatic. [1] definiri potest: *collectio librorum, qui, „Spiritu s. inspirante conscripti, Deum habent auctorem atque ut tales ipsi ecclesiae traditi sunt".*

Igitur ut aliquis liber sit pars s. Scripturae duo simul requiruntur, primo ut per inspirationem Spiritus s. conscriptus sit, ut sit *inspiratus;* deinde ut tamquam inspiratus ecclesiae traditus sit. Quum autem testimonium ecclesiae de libris, ut inspiratis ab ipsa receptis, inde potissimum habeatur, quod hujusmodi libri in catalogum seu canonem redacti esse noscuntur, breviter dici potest, secundo loco requiri, ut liber sit *canonicus*, i. e. in canonem ecclesiasticum relatus.

Per se patet, receptionem per ecclesiam non influere in naturam libri, ad intrinsecum ejus valorem ac dignitatem nihil conferre. Hinc ad quaestionem, num liber inspiratus, sed ecclesiae non commissus, si forsan exsisteret, habendus esset s. Scriptura, respondendum est cum distinctione. Si per „s.Scripturam" intellegeretur liber divinae originis, proinde secundum se divinae auctoritatis, nihil ultra, hujusmodi liber certe esset s. Scriptura. Verum si per „s. Scripturam" intellegitur liber divinae originis, *qui sit fons revelationis christianae,* ex quo praedicatio ecclesiae et fides catholica hauriantur, negative respondendum est. Atqui ecclesia et theologia catholica nomen „s. Scripturae" non nisi in hac altera significatione adhibent. Et merito quidem, tractant enim de s. Scriptura, eaque utuntur, formaliter ut est fons revelationis. Manifestum autem est, ecclesiam praedicationem suam mutuare non posse ex libro ut inspirato, nisi ejus inspirationem a Christo aut apostolis didicerit.

Quum de facto nullus exsistat liber inspiratus, qui non sit canonicus, termini, „inspiratus" et „canonicus" saepe promiscue adhibentur. Nihilominus notiones inspirationis et canonicitatis

[1] Const. *De fid. cath.* cp. 2.

realiter differunt, etsi inadaequate tantum, nam canonicitas inspirationem supponit atque includit.

11. Quia inspiratio canonicitatem ontologice praecedit, plerique theologi primum de inspiratione, deinde de canonicitate agunt. Nobis praeplacet ordo inversus. Canonicitas primario et *explicite* dicit, talem librum ab ecclesia recipi ut sacrum, ut fontem authenticum revelationis, quin adhuc *distincte* aperiatur intima ratio hujus receptionis, np. inspiratio. Atqui receptio per ecclesiam, quum sit factum externum et publicum, facilius cognoscitur et probatur quam inspiratio. Praeterea receptio per ecclesiam semel probata exsistit argumentum indirectum quidem, sed validissimum pro inspiratione.

Igitur ordo disputationis erit hic. In *art. I* dicemus de canone s. Scripturae, inquirentes, num ecclesia libros, quos hodie ut Scripturam proponit, semper receperit; ita ut credibile sit, eos a Christo et apostolis esse acceptos. In *art. II* inquiremus, num libri illi merito dicantur inspirati. In *art. III* considerabimus naturam inspirationis ejusque consectaria; denique in *art. IV* ea congeremus, quae pertinent ad usum s. Scripturae.

ART. I.

DE CANONE S. SCRIPTURAE

12. 1. *Canon*, *κανών* (*κάνη*, *κάννα* = arundo) apud graecos erat instrumentum, quo utebantur fabri ut lapides et ligna, sive secanda sive struenda, ad rectam lineam exigerent; latine: *mensura*. Metaphorice designabat illud omne quod est norma credendi vel agendi: *ὁ κανών τῆς ἀληθείας, τῆς πίστεως* (symbolum); canones ecclesiastici. Hinc libri Scripturae a patribus, praesertim latinis, saepius vocantur canonici, quia sunt regula fidei et morum. Et hoc sensu nonnumquam etiam ipsa collectio ss. librorum *Canon* audiebat.

13. Verum vox *canon* apud graecos etiam adhibebatur pro registro seu *catalogo*; et in hac praesertim significatione vox inde a saec. IV materiae nostrae applicata est. Igitur *canon Scripturae* erat

catalogus eorum librorum, quos ecclesia ut divinos suscipiebat et ut tales in suis conventibus publice legebat; *libri canonici* erant *libri in catalogum ecclesiae redacti.* Haec significatio etiam postea praevaluit, quin tamen alia supra indicata excluderetur, nam libri eo ipso quod in registro ecclesiae exstabant, ut regula fidei agnoscebantur.

Libris canonicis opponebantur *apocryphi* (*ἀποκρύφος* = reconditus), i. e, ii, quos in publicis conventibus ecclesiasticis legere fas non erat, quia ecclesia eos e censu sacrorum librorum excludebat. Haec nimirum est significatio primitiva et universalis, nam in multis casibus nomen „apocryphus" aequivalet pseudepigrapho, imo haeretico [1].

14. 2. Libri canonici distingui solent in proto-canonicos et deutero-canonicos. *Proto-canonici* sunt ii, de quorum origine divina in ecclesia Dei numquam dubitatum est, de quorum inspiratione omnes semper idem senserunt: *ὁμολογούμενοι; deutero-canonici* vocantur illi, de quorum inspiratione nonnulli doctores aut ecclesiae particulares aliquando dubitaverunt, quorum auctoritati aliquando contradictum est: *ἀντιλεγόμενοι.*

Cave igitur, ne voces proto- et deutero-canonici, a Sixto Senensi inductas, ita accipias, ac si per eas diceretur, ecclesiam aliquando condidisse registrum *absolutum* omnium ss. librorum (= proto-canonicorum), quoslibet alios *positive excludendo*, et nihilominus deinceps in canone aucto et emendato alios (deutero-canonicos) suscepisse.

Libri deutero-canonici V. T. sunt: *Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch, I* et *II Machabaeorum;* quibus adjungi debent sequentes librorum proto-canonicorum *partes: Esther,* **10,** 4—**16,** 24; *Daniel,* **3,** 24—90 et **13**—**14**.

Libri deutero-canonici N. T. sunt: *Epp. ad Hebr., Jacobi, II Petri, II* et *III Joannis, Judae, Apocalypsis;* quibus addi debent *partes* sequentes librorum proto-canonicorum: *Marc.* **16**, 9—20; *Luc.* **22**, **43**—**44**; *Joes,* **8**, 2—12.

---

[1] Cfr. VACANT-MANGENOT, *Dict. de Théol. cath.* in voce: *Apocryphes.*

15. 3. Tres praesertim enumerari solent s. Scripturae canones: alexandrinus, palaestinensis, tridentinus.

a. *Canon alexandrinus* intellegitur collectio *omnium librorum Vet. Test.*, prout habetur in versione quae vocatur LXX interpretum. Collectio haec saltem integro saeculo ante Christum completa fuit, et cunctos libros ac partes deuterocanonicos continebat, non ad calcem per modum appendicis, sed protocanonicis permixtos. Constat itaque tunc temporis judaeos, saltem ii qui in dispersione vivebant, quorum veluti centrum principale erat Alexandria, libros deuteros non minus quam protos ut divinos accepisse. Quibus autem criteriis eorum inspirationem agnoverint, nescimus.

16. b. *Canon palaestinensis.* Hoc nomine venit collectio *librorum proto-canonicorum Vet. Test.*, collectio tripartita (Lex, Prophetae, Hagiographi), quam etiam hodie exhibent Biblia hebraica. De hac collectione id unum certum est: rabbinos palaestinenses inde a fine saec. I aut initio saec. II post Christum, eam habuisse ut corpus completum omnium divinarum Scripturarum. Cetera: a quibus, quo tempore, quibus criteriis collecta fuerit, non liquet. Imprimis dubium est, num judaei palaestinenses etiam tempore Christi et antea deutero-canonicos rejecerint. Plures eruditi, inter quos cl. van Kasteren [1], huic quaestioni negative respondent, probabilius autumantes, etiam palaestinenses aliquando deutero-canonicos, saltem plerosque, habuisse sacros. Ex horum itaque sententia canon qui vocatur palaestinensis, canoni alexandrino posterior et particularismi pharisaici foetus habendus est. — Judaei posteriores et hodierni sequuntur canonem palaestinensem, quem Esdrae tribuere solent (hinc nomen: canon esdrinus).

c. *Canon tridentinus*, in conc. trid. editus et a conc. vatic. confirmatus [2], continens *omnes libros utriusque Test.*

17. 4. *Reformatores* in quaestione de ss. libris admittendis haud unanimes fuere. Hodie protestantes universi (lutherani, calvinistae,

---

[1] Cfr. *De Studiën* T. **45**, p. 414; T. **49**, p. 379; *Rev. Bibl.* 1896, p. 408 et p. 575. Ceterum cfr. de hac materia VACANT-MANGENOT, *Dict. de Théol. Cath*, T. II, p. 1569. — [2] *Conc. trid.* S. **4**; *Conc. vatic.* Const. *de fide*, *cp.* 2.

anglicani) in eo conveniunt, ut omnes libros *deutero-canonicos Vet. Test.* „apocryphos" habeant. Lutherani eos ut „utiles" ad calcem bibliorum suorum adjicere solent, ceteri non ita.

Quantum ad *deutero-canonicos Nov. Test.* calvinistae et anglicani eos recipiunt omnes; lutherani *Epp. ad Hebr. Jacobi, Judae, Apoc.* ad calcem Novi Testamenti rejiciunt, reliquos ut canonicos admittendo [1].

Igitur ostendendum est, conc. trid. canonem suum merito sanxisse, i. e. s. synodum eos tantum libros suscepisse, quos ecclesia ab antiquissimis temporibus ut Scripturam venerabatur. Quum autem haec quaestio proprie ad *Introduct. in s. Scripturam* pertineat, nos summa tantum demonstrationis lineamenta exhibebimus, plenam tractationem Biblicis relinquendo [2].

PROP. **Canon tridentinus sensum antiquissimae ecclesiae fideliter exprimit.** 18.

Enumeratis singulis utriusque testamenti libris, conc. trid. prosequitur: „Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, a.s." [3].

Intentio concilii fuit tueri auctoritatem Scripturae in concreto, id est Scripturae, qualis in universa ecclesia et in specie in ecclesia latina legi diutissime consueverat. Quid autem sibi velint voces

---

[1] Libri symbolici lutheranorum nullum continent ss. librorum catalogum; catalogum protestantium nostratum habes in *Conf. Belgica*, art. 4—6. — Graeci schismatici omnes deutero-canonicos nobiscum admittunt; sed Russi jam a duobus saeculis libros et fragmenta deutera Vet. Test. apocryphos habent; cfr. *Rev. Bibl.* 1901, p. 267; *Echos d'Orient*, 1907 p. 129 seq. — [2] Cfr. CORNELY, *Introd. gener. in s. Scripturam* et *Comp. Introd.* Ed. 5, 1905; CHAUVIN, *Leçons d'Introd. générale*, 1897; GIGOT, *General Introd. to the h. Scripture*, New-York, 1900; BELSER, *Einl. in d. N. Test.* Friburgi, Ed. 2, 1906; W. BARRY, *The Tradition of Scripture*, cet. 1906; TH. ZAHN, *Gesch. d. Neutest. Kanons*, et *Grundriss der Gesch. des Neutest. Kanons*, 1904; G. WILDEBOER, *Het ontstaan v. d. Kanon d. O. Verb.* Ed. 3, 1900 (contra quem scripsit VAN KASTEREN in *De Studiën*, T. **45, 49, 51, 56, 60**); VIGOUROUX, *Dict de la Bible*, et VACANT-MANGENOT, *Dict. de Théol. Cath.* in voce: *Canon des s. Ecritures;* BATIFFOL in *Rev. Bibl.* 1903, p. 10 et 226. — [3] S. IV.

„cum omnibus suis partibus" convenientius dicemus, ubi de authentia Vulgatae sermo habebitur.

19. *Probatur.* 1° Quoad *libros Vet. Test.*

a. Ex scriptis ss. Patrum certo constat, imo ab ipsis protestantibus concedi solet, universam *ecclesiam trium priorum saeculorum* omnes libros V. T. a Tridentino enumeratos publice et privatim ut s. Scripturam adhibuisse [1], quin discrimen faceret inter libros quos proto- et eos quos deutero-canonicos nominamus.

Jam si ab ipsis patribus quaeras, quare libri isti indiscriminatim ut sacri ac divini habiti fuerint, unicum responsum est, quia sunt „manifesti, publici, vulgati, recepti" in ecclesia, quia ita habet publica traditio ecclesiae, quia ita „per successionem ecclesiae Dei tradiderunt nobis" [2]. Crediderunt igitur, ecclesiam omnes illos libros a suis conditoribus, Christo et apostolis, accepisse [3].

Porro etsi ostendere nequimus, Christum aut apostolos cunctos V. T. libros diserta declaratione canonizasse, fides antiquissimae ecclesiae ét ipsa sua universalitate probatur, ét validum fundamentum habet in libris N. T. Nam auctores N. T. tum Scripturam veterem saepissime citant secundum versionem LXX, tum ipsos libros deuteros eodem modo, quo protos, allegant.

20. b. Fateri debemus, *mediante saec. IV* apud nonnullos doctores primo orientales, dehinc etiam occidentales commercium cum Oriente habentes, fluctuationem quamdam incepisse circa libros deutero-canonicos. Ss. Athanasius [4], Cyrillus hier. [5], pauci alii iis minus favent ac veluti medium locum inter canonicos et apocryphos tribuunt. Idem faciunt in occidente s. Hilarius et Rufinus. Longius progreditur s. Hieronymus, qui eos aliquoties „apocryphos" vocat, omnemque auctoritatem iis demere nonnumquam videtur [6].

---

[1] Nonnulli tamen ex dictis s. Cyrilli hier. (*Cat.* 4, 33 seq.) concludendum autumant, ecclesiam hierosol. liberos deuteros *publice* non adhibuisse.

[2] ORIGENES, *Comm. in Mt.* Ser. 46. — [3] Verum est, nonnullos hujus epochae scriptores etiam quosdam apocryphos V. T. (*Henoch*, *Assumpt. Mosis*, *Assumpt. Isaiae*) recepisse, sed hic errorpaucorum fuit; ecclesiae longe communius istos libros rejiciebant, scientes eos non esse „traditos". — [4] *Ep. fest.* 39. — [5] *Cat.* 4, 33—36. — [6] V. g. in *Prolog. galeato* et *Praefat in Daniel.*

Verum haec omnia nec praecedentem consensum auferre, nec vim ejus infringere potuerunt, nam *α.* ecclesiae fere universaliter libris deuteris eodem quo antea modo uti pergebant. *β.* Plures conficiebantur Scripturarum catalogi, deuteros una cum aliis enumerantes (canon romanus a 382 sub Damaso; s. Augustini [1]; conc. hippon. a. 393; conc. carthag. a. 397 et a. 416; Innocentii I a. 405; s. Gelasii a 495). *γ.* Ipsi patres supra nominati, ne Hieronymo quidem totaliter excepto, libros deuteros saepius ut Scripturam, ut sacros adhibent; hac agendi ratione ostendentes, vel discretionem librorum „secundi loci" (*ἀναγιγνωσκομένων*, ecclestiasticorum) a „canonicis" ex ipsorum intentione non habuisse sensum illum absolutum, quem prima facie videtur habere; vel saltem eos practice usum publicum ecclesiae privatis suis dubitationibus praetulisse [2].

Vix opus est dicere, praedictorum patrum sive haesitationem 21.
sive dissensum in sententiam plurium posterorum influxisse. Nihilominus in oriente inde a saec. XII omnis dubitatio cessavit. Quodsi in occidente pauci quidam doctores medii aevi sententiam Hieronymi nonnihil mitigatam amplectuntur, doctrina longe communior, praxi universali ecclesiae firmata, semper antiquam traditionem vindicavit, quam conc. florentinum (in decr. pro Jacobitis) aperte suscepit et denique conc. trid. solemni definitione consecravit.

2⁰ Quoad *libros Novi Test.*

a. Initia canonis N. T. satis obscura sunt; quod ne mirum 22.
videatur haec praemittimus. Primae ecclesiae ab apostolis eorumque adjutoribus conditae sunt, nullo adhuc exsistente N. T. libro; et religio Christi jam late admodum per varias regiones diffundebatur, quando singuli libri inter annos fere 40—95 edebantur. Scribebantur autem variis in locis et per occasionem; neque ab hagio-

[1] *De Doctr. christ.* II. 8, 13. — [2] De s. Hieronymo constat, eum captum amore „hebraicae veritatis," cui pro restitutione *textus* multum debebat, in quaestione *canonis* traditioni rabbinicae nimium tribuisse. Et memoratu dignum est, eumdem Hieronymum quum pro deuteris rejiciendis inter superiores patres auctores quaereret, nec ad. s. Athanasium nec ad s. Cyrillum provocasse. Cfr. *Studiën*, T **60**, p. 239—252.

graphis directe ad universalem ecclesiam destinabantur, sed ad unam aut paucas ecclesias particulares, imo proxime ad unam aliquam personam. Hinc singuli libri una cum testimonio authentico de sua origine ad singulas ecclesias pervenerunt, quin aliae id statim rescirent. Neque necessario supponendum est, nuntium hac de re saltem mature ubique fuisse delatum; etsi enim ecclesiae, quantum per adjuncta liceret, commercium ad invicem agebant, facile intellegitur primis illis temporibus, quando in omnium auribus adhuc resonabat vox apostolorum, minus attentum fuisse Scripturis, iis praesertim quae aut ratione ambitus et argumenti minoris momenti erant, aut locales imprimis causas spectabant.

Supposito itaque quod nemo apostolorum de cunctis libris N.T. simul sumptis, testimonium ediderit (quod neque necessarium erat, neque facto contigisse probatur), res ita se habere potuerunt, ut defunctis apostolis de singulis quidem libris sacris alicubi in ecclesia exstaret authenticum testimonium, quin libri illi adhuc in unum corpus collecti essent, imo quin ulla ecclesia particularis integrum cunctorum librorum catalogum cognosceret. Prius, np. collectionem completam [1] tunc temporis nondum exstitisse, historice constat; alterum np. nullibi adhuc exstitisse integrum catalogum, ut hypothesim probabilem assumere licet. Quae si veritati reapse consonat, facile intellegimus: α. temporibus insequentibus canonem N.T. non alia via statui potuisse, quam studiose colligendo et comparando traditiones singularum ecclesiarum (et hanc viam ss. patres, teste historia, reapse inierunt). β. Inquisitionem hanc, spectatis praesertim temporum adjunctis, haud semper facilem fuisse, proinde quoad nonnulla saltem scripta legitimis dubitationibus, dehinc etiam erroribus, ansam praebere potuisse. Denique γ. judicium ratum et fixum de cunctis simul libris non nisi pedetentim maturasse et tardius adhuc per omnes ecclesias invaluisse.

23. b. Jam ex documentis antiquissimis haec colliguntur [2].

α. Circa finem saec. I (c. 80—110) duae exstiterunt collectiones, altera *IV Evv.*, altera *XIII epp. Paul.* (np. omnium praeter *Ep. ad*

[1] *Completam* dico, nam v.g. *II Petr.* 3, 16 collectionem quarumdam epp. paulinarum insinuat. — [2] Cfr. imprimis ZAHN, *Grundriss*, p. 15 seg.

Hebr.), quae fere in omnibus ecclesiis publice legebantur unâ cum Scriptura V. T. His ubique jungebantur *quidam alii libri*, modo plures, modo pauciores, circa quos ecclesiae non ita conveniebant.

β. Ex variis documentis historiam gnosticorum praesertim spec- **24.**
tantibus eruitur, circa a. 140 et deinceps *cunctas ecclesias graecas et latinas* [1] in tantum consensisse, ut pariter reciperent omnes libros tridentini canonis, praeter *Epp. ad Heb., Jac., II Petr.*; de quibus, quemadmodum de nonnullis aliis libris (Didachè, Ep. Barnabae, cet.), aliae aliter judicabant.

Circa finem saec. II (a. 170—220) idem consensus evidentius probatur; et simul ex controversia cum montanistis, novam per prophetas suos revelationem ventilantes, conficitur, ecclesiae alte persuasum fuisse, epocham (publicae) revelationis ac prophetiae ultra tempus apostolicum non extendi, proinde nullum librum ut authenticum revelationis fontem admitti posse, quem aetas apostolica publice legendum non tradidisset.

Ep. ad Hebr. ab antiquissimis temporibus inter epp. paulinas recepta fuit ab ecclesia alexandrina; hinc praesertim post defensionem Origenis (qui redactionem alicui ex discipulis Pauli tribuebat) per totum orientem divulgata est. Occidentales eam ante saec. IV in publica lectione non adhibuerunt; nihilominus ss. Clemens rom., Irenaeus, Hippolytus eam cognoscebant et magni aestimabant.

Ep. Jacobi a graecis orientalibus semper recepta fuit; latini eam mature cognoverunt; nihilominus in *fragmento muratoriano* desideratur et in ecclesiis gallicana et africana olim non videtur adhibita.

Ep. II Petri ss. Justino M. et Hippolyto et forte etiam s, Irenaeo

---

[1] Siquidem *Epp. II* et *III Jo.* primae, quae ubique recipiebatur, adjici et sub prima comprehendi solebat. Dicitur autem: „cunctas ecclesias *graecas et latinas*"; nam ecclesia *syra* Edessae saec. II sola *4 Evv.*, *Act.*, *12 Epp. Pauli* omissis *ad Hebr.* et *Philem.*), nihil praeterea, agnovisse videtur. Saec. III (ecepit *Ep. ad Hebr.*; postea *ad Philem.* Versio Peschitto adhuc omittebat r*II Petr.*, *Jud.*, *II* et *III Jo. et Apoc.* Constat nihilominus s. Ephrem † 373 saltem aliquos horum librorum et cognovisse et agnovisse.

nota fuit; Clemens alex. eam commentario illustravit. Origenes ut Scripturam s. recepit.

25. *γ.* Ante medium saec. III *Origenes*, traditiones ecclesiarum comparando, *IV Evv., Act., XIII epp. Pauli, I Petr. I Jo., Apoc. ὁμολογουμένα* nuncupat; reliquos libros canonis trid. (cum paucis aliis) ipse quidem ut s. Scripturam admittit, sed simul testatur eos non ab omnibus recipi [1].

Eodem saeculo primum Romae (Cajus presb.) absque successu, postea Alexandriae (s. Dionysius † 264) et Antiochiae (s. Lucianus † 311) ex diversis causis particularibus impugnari coepit *Apocalypsis;* et haec disceptatio in oriente late diffundebatur. Praeterea Antiocheni ex commercio cum syris aliquas ex epp. catholicis omittere coeperunt.

26. *δ.* Saec. IV (c. 325) *Eusebius caesar.* tres librorum classes distinguit: *ὁμολογουμένα* (*IV Evv., XIV epp. Paul., Act., I Petr., I Jo.*), *ἀντιλεγομένα* quae videbantur recipienda *(Epp. Jac., Jud., II Petr., II et III Jo.), et νόθα,* quae e censu s. Scripturae sunt excludenda [2]. De *Apoc.* haesitat, utrum in primam, an in tertiam classem referenda sit; siquidem illud suadebant validissima testimonia antiquitatis, hoc ipsi Eusebio magis placebat.

Anno 367 *s. Athanasius* omnes et solos libros trid. canonis *κανονιζόμενους* vocat, eosque tum ab *ἀπόκρυψοις* tum etiam ab *ἀναγιγνωσκόμενοις* distinguit [3].

Abhinc dubitationes et dissensus in eccleciis orientalibus adhuc remanentes paulatim diminuebant, donec saec. VI vix non totaliter evanuissent.

27. *ε.* In *ecclesia latina* usque ad medium saec. IV dissensus obtinuit circa *Epp. ad Heb., II Petr., II et III Jo., Jacobi* et *Judae;* verum synodus romana a. 382 sub Damaso, cui non solum ss. Hieronymus et Ambrosius sed etiam plures episcopi orientales intererant, in suo „Ordine Scripturarum novi et aeterni testamenti, quem sancta

[1] Enumerationem omnium librorum N.T. habes in *Hom. VII in Josue*, n° 1.
[2] Cfr. *H. E.* III, 25. — [3] *Ep. fest.* 39.

et catholica suscipit ecclesia", omnes et solos libros tridentinos enumerat. Canonem Damasi sequuntur s. Augustinus, conc. hipp. a. 393, carthag. a. 397 et 416, s. Innocentius I a. 405, s. Gelasius a. 495, cet.: ita ut dicere liceat quaestionem de canone Nov. Test., in occidente inde ab initio saec. V definitive fuisse solutam.

Ex praedictis pronum est concludere, libros longe plerosque canonis tridentini argumentis mere historicis *cum certitudine* vindicari; verum id de omnibus libris, imprimis N. T., asserere nimium foret. Demus itaque solam auctoritatem infallibilis ecclesiae *integrum* catalogum ss. librorum plene spondere. Neque mirum est, nobis, qui historiam antiquissimam satis incomplete novimus, non ita perspicuas esse rationes propter quas patres quarti et quinti saeculi nonnullos libros, de quibus antea disceptabatur, definitive in canonem receperint. Subsequens consensus universalis et constans totius ecclesiae ex principiis catholicis theologum plene convincit, eos in hoc judicio a vero non aberrasse. At longe pejoris conditionis sunt protestantes, qui auctoritatem magisterii infallibilis a Christo instituti rejicientes, solis argumentis historicis integrum canonem suum vindicare debent. Hinc Gore profitetur, difficiliorem in dies evadere fidem in Scripturam absque fide in ecclesiam [1]. **28.**

ART. II.

DE EXSISTENTIA INSPIRATIONIS [2]

Jam scimus, quosnam libros ecclesia ut s. Scripturam veneretur, quosnam libros ab antiquissimis temporibus ut sacros et canonicos **29.**

[1] *Lux mundi*, p. 283 apud TANQUEREY, *De font. theol.* n° 49. — [2] Cfr. FR. SCHMID, *De inspirationis Bibliorum vi et ratione*, Brixinae, 1885; G. J. CRETS, *De div. Bibl. inspiratione*, Lovan. 1886; P. DAUSCH, *Die Schrift-inspiration, eine biblisch-geschichtl. Studie*, Friburgi, 1891; K. HOLZHEY, *Die Inspiration in die Anschauung des Mittelalters*, Monachii, 1895; A. CHAUVIN, *L'Inspiration*, Paris, 1897; D. ZANECCHIA, *Div. inspiratio ad mentem s. Thomae*, Romae 1899; *Scriptor sacer sub divina inspiratione, responsio ad p. Van Kasteren* (*Studien*, an. 34. p. 581) Romae, 1903; CHR PESCH, *Zur neusten Geschichte der katholischen Inspirationslehre* (*Theol. Zeitfragen*, 3e Folge) 1902; L. BILLOT, *De Inspiratione*, Romae, 1903; CHR. PESCH, *De Inspiratione s. Scripturae*, Friburgi, 1906; FEI, *De Evang. inspiratione*, Paris, 1906; J. BAINVEL, *De Scriptura Sacra*, Paris, 1910.

susceperit, modo quaeritur, *quare eos in hunc censum recipiat.* Et habemus responsum conc. vatic.: „Eos vero ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod, sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed *propterea quod, Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem,* atque ut tales ipsi ecclesiae traditi sunt" [1].

Igitur ut liber aliquis sacer et canonicus habeatur, requiritur ut sit inspiratus, i. e. ut *conscriptus sit sub tali influxu divino, vi cujus Deus dici possit ac debeat auctor illius libri.*

Inquirendum igitur est, num exsistentia hujusmodi influxus legitime probetur. Verum praevie dicendum est, undenam, i. e. quo criterio vel quibus criteriis probandus sit.

30. De criterio inspirationis. — 1⁰ Protestantes generatim ponunt Scripturam *seipsam legitimare,* proinde esse *αὐτόπιστον.*

a. Nonnulli, imprimis Lutherani, docuerunt inspirationem alicujus libri certo cognosci ex quodam sapore ac gustu divino, i. e. ex sanctis affectibus, quos parit in animis legentium. **b.** Alii characteres libri internos, veritatem et sublimitatem doctrinae, prophetias eventu impletas, candorem styli, ut criteria inspirationis assignarunt. **c.** Calvinistae admittunt immediatum testimonium Spiritus Sancti in animo cujuslibet fidelis lectoris: Spiritus s., qui hagiographo quondam inspiravit ut haec scriberet, singulis in dies lectoribus inspirare pergit, ea quae leguntur esse verbum Dei [2].

---

[1] Const. *De fide cath.* cp. 2. — [2] CALVINUS habet, s. Scripturam „esse *αὐτόπιστον*; neque demonstrationi et rationibus eam subjici fas esse, quam tamen meretur apud nos certitudinem Spiritus testimonio consequi" (*Instit.* I, 7, 5. — *Confess. belgica.* art. 5): „Alle deze boeken alleen ontvangen wij voor heilig en kanoniek ... niet zoozeer omdat ze de kerk aanneemt en voor zoodanig houdt maar inzonderheid omdat ons de h. Geest getuigenis geeft in onε hart, dat ze van God zijn, en zij ook het bewijs daarvoor in zich zelve hebben, omdat de blinden zelfs tasten kunnen, dat de dingen die daarin voorzegd zijn geschieden". — Adverte ambiguitatem effati: Scriptura est *αὐτόπιστος.* Omnes concedimus, Scripturam intrinsecam suam auctoritatem habere non ab ecclesia aut ex traditione, sed a seipsa, i. e. a solo facto quod est a Deo inspirata; sed quaestio est, num divina Scripturae auctoritas ex sola Scripturae lectione nobis cum certitudine *innotescat.* Hanc, non illam autopistiam catholici negant.

Vix opus est dicere, criteria primo et secundo loco indicata ad certam probationem inspirationis non sufficere; immediatum vero Spiritus s. testimonium in quoslibet fideles gratis et falso affirmari.

2⁰ Exclusa *αὐτοπιστια*, seguitur inspirationem Scripturae probari **31.** debere testimonio. Quaeriter autem, num sufficere possit *testimonium mere humanum* ipsius hagiographi, i. e. illius hominis, qui sub influxu Spiritus s. librum conscripsit; manifestum siquidem est, alios praeter hagiographum factum divinae inspirationis percipere non potuisse. Porro facile concedes, testimonium mere humanum hagiographi, si daretur, ad gignendam plenam certitudinem non sufficere; quis enim non videt, periculum hallucinationis in hujusmodi re majus esse, quam ut uni homini, etiam sincero et pio, de sua inspiratione absolute credatur [1].

3⁰ Restat ut tamquam criterium inspirationis assignetur *testimo-* **32.** *nium divinum*, per legitimum revelationis praeconem editum et debito modo ad nos transmissum. Porro hujusmodi testimonium transmitti potuit aut in aliquo libro ipsius Scripturae aut per alia documenta veracia. Quum autem testimonia pro inspiratione plurium saltem librorum reapse prostent in aliis ejusdem Scripturae partibus, praemonere juvat, libros Scripturae in hoc negotio non adhiberi ut inspiratos, sed *ut humanitus veraces* tantum. Certe principium peteret, qui ex Scriptura ut inspirata inspirationem ejus probare vellet; verum nihil prohibet argumentari hoc modo: libri N. T. historice veraces sunt, proinde fideliter referunt doctrinam Christi et apostolorum, quos legatos Dei jam novimus. Atqui ex his libris comperimus, v. g. Christum et b. Paulum docuisse inspirationem quorumdam librorum; ergo de inspiratione horum librorum constat testimonio divino, per legatum authenticum quondam edito et veraci documento ad nos propagato.

Ceterum aliud est asserere, inspirationem Scripturae ultimo non nisi per testimonium divinum legitime probari, aliud quaerere

[1] Diximus, non sufficere testimonium *mere humanum* hagiographi; nam si hagiograhus, *de cujus missione divina aliunde jam constaret*, propriam inspirationem testaretur, testimonium non esset mere humanum.

modum hujus testimonii, np. utrum semper explicite, an aliquando implicite, ut contentum in alio, editum fuerit; de quo infra pauca adjiciam. Praeterea nimium foret exigere ut documenta antiqua, quae fidem inspirationis attestantur, diserte addant hanc veritatem niti traditione divina. Dummodo enim ostenderimus, fidem inspirationis ab antiquissimus temporibus communem fuisse in ecclesia, merito inferimus eam a Christo et apostolis fuisse acceptam.

33. PROP. **Omnes libri tridentini canonis divinitus inspirati sunt.**

Dogma fidei est ex conc. vatic.: „Si quis s. Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos s. trid. synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit, a. s." [1].

Probationem hoc modo ordinandam putamus. Primo proferemus *argumenta Scripturistica*, quae probant inspirationem plurium librorum, non vero omnium. His subjungemus *argumenta non-scripturistica*, effata scil. antiquorum patrum, quae si universalia sunt, probant inspirationem omnium librorum, quos illi patres sub nomine „Scripturae" comprehendebant [2]. Quodsi sunt particularia i. e. determinatos tantum libros directe spectantia, adhuc indirecte valere solent pro tota loquentium „Scriptura", quia indubium est, patres cunctos „Scripturae" libros in eodem censu habuise. Denique rem confirmabimus simul et explebimus *argumento indirecto* ex canonicitate.

34. I *Argumenta scripturistica.*

I⁰ Pro *Scriptura Vet. Test.*

Ex N. T. aliisque fontibus constat, judaeos tempore Christi libris, quos Scripturam nominabant, tribuisse auctoritatem absolutam, quia eos divinitus inspiratos credebant. Atqui Christus et apostoli hanc fidem judaeorum, tum quoad absolutam Scripturae auctoritatem, tum quoad intimam ejus rationem, np. inspirationem divinam, positive approbarunt. Ergo.

[1] L. c., can. II 4. — [2] Dico: „quos *illi* patres nomine Scripturae comprehendebant"; manifestum siquidem est, in pensandis testimoniis illorum patrum, qui de canonicitate quorumdam librorum dubitaverunt, hujus dubitationis rationem esse habendam.

Major breviter probatur testimonio Josephi, qui palaestinensium, et Philonis, qui hellenistarum persuasionem refert. Josephus dicit, quod sacri judaeorum libri „merito creduntur divini", utpote a „solis prophetis" (= viris ex divino afflatu agentibus) conditi [1]. Philo ipsas Scripturas appellat „eximia oracula prophetico ore edita" [2].

Minor. Christus et apostoli *absolutam auctoritatem* Scripturae plenissime agnoverunt. CHRISTUS: „Jota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant" [3]. — „Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi et prophetis et psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intellegerent scripturas" [4]. — „Non potest solvi scriptura" [5]. — S. PETRUS: „Oportet impleri scripturam" [6]. — S. PAULUS argumentatur ex eo, quod Scriptura memorat promissiones factas „semini" Abrahae „quasi in uno", et non „seminibus, quasi in multis" [7].

Christus et apostoli omnimodam auctoritatem Scripturae repe- **35.**
tunt ex eo, quod in Scriptura Deus loquitur, quod scriptores sacri loquuntur in Spiritu Sancto, cet. a.v. eam *repetunt ex inspiratione.* Quod probatur tum modo quo Scripturam allegant, tum diserta declaratione s. Pauli.

a. *Modus, quo Scripturam allegant.* CHRISTUS: „Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo" [8]. — S. PETRUS: „Oportet impleri scripturam, quam praedixit Spiritus s. per os David" [9]. S. PAULUS: „Evangelium Dei, quod ante promiserat [Deus] per prophetas suos in Scripturis sanctis" [10]. — „Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, praenuntiavit Abrahae: quia benedicentur

---

[1] *C. Apion.* I, 7—8. — [2] *De nominum mutat.*. apud FRANZELIN, *De Trad. te Script.*[3], p. 324. Imo Philo putabat etiam versionem LXX inspiratione confectam esse, „quasi quopiam invisibiliter singulis [interpretibus verba] dictante". *De Vit. Moysis*, apud FRANZELIN, l. c. — [3] *Mt.* **5**, 18, Nomine *Legis* saepe intellegitur totum vetus testamentum. — [4] *Luc.* **24**, 44—45. — [5] *Jo.* **10**, 34. — [6] *Act.* **1**, 16. — [7] *Gal.* **3**, 16; cfr. *Heb.* **12**, 26—28, ubi veritas magni momenti eruitur ex voce „*adhuc semel*" apud *Agg.* **2**, 6. — [8] *Mt.* **22**, 43; cfr. *Ps.* **109**. Quid autem sit *dicere in Spiritu* illustrari potest his verbis David: „Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam". *II Reg.* **23**, 2. — [9] *Act.* **1**, 16. Eamdem fidem profitentur primi fideles, orantes: „Domine, qui Spiritu Sancto per os patris nostri David dueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes", cet. *Act.* **4**, 25. — [10] *Rom.* **1**, 2.

in te omnes gentes" [1]; ubi Scriptura ponitur pro ipso Deo, auctore suo.

Haec directe quidem inspirationem paucorum tantum textuum probant, sed quum toti scripturae eadem auctoritas tribuatur, et diversissimi loci iisdem formulis „scriptum est", „Scriptura dicit" laudentur, recte concluditur, intimam rationem hujus auctoritatis pro omnibus locis esse eamdem, np. divinam inspirationem.

36. b. *Diserta declaratio s. Pauli.* Apostolus Timotheo, ex patre gentili et matre judaea in Asia minori nato, scribit: „Ab infantia sacras literas nosti, quae te possunt instruere ad salutem per fidem, quae est in Christo Jesu. Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia" [2]. Graece: *„Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν . . . .*

Parum refert, utrum vox *πᾶσα γραφὴ* sumatur collective: *tota* Scriptura, an distributive: *quaelibet* Scriptura [3]; semper enim designat totam collectionem, quam Timotheus ab infantia ut „sacras literas" noverat.

Iterum parum refert, utrum vox *θεόπνευστος* cum Vulgata sumatur ut appositio ad omnem Scripturam, an cum textu primigenio ut praedicatum, semper enim explicite significatur, *θεόπνευστίαν* ét omni Scripturae convenire ét fundamentum exsistere utilitatis atque auctoritatis Scripturae.

37. Vox *θεόπνευστος* (*θέὸς* et *πνεω* = spirare) alias nec apud LXX nec in N. T. occurrit; apud auctores profanos aliquoties invenitur et influxum deorum in homines significat [4]. Igitur *γραφὴ θεόπνευστος* vi vocis est scriptura facta ex afflatu seu instinctu divino. Si quaeras, num necessario intellegendus sit influxus tantae intensitatis, ut Scriptura per eum sit vere verbum Dei et Deus auctor Scripturae, respondemus, vocem *θεόπνευστος* hunc sensum certo

---

[1] *Gal.* **3**, 8. — [2] *II Tim.* **3**, 15—16. — [3] Et observa, quod in N. T. nomine *Scripturae* saepe venit singularis aliquis textus aut sententia Scripturae; cfr. *Mt.* **15**, 28; *Jo* **13**, 18; **19**, 36—37; *Act.* 1, 16; **8**; 35. — [4] Cfr. PESCH, *Prael.* I. nº 607.

admittere, comparationem vero locorum supra (n⁰ 35) laudatorum eum exigere. Ceterum genuina significatio vocis *θεόπνευστος* illustrari potest ex *II Petr.* 1, 19—21, ubi de „sermone prophetico" seu „prophetia Scripturae" dicitur, eam non esse foetum intellectus ac voluntatis humanae, sed *Spiritu s. inspirante* locutos esse sanctos Dei homines: *ἀλλὰ ὑπο πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν ἅγιοι θεοῦ ἄνθρωποι.* Igitur Spiritus s. ita agebat, ducebat, ferebat homines, ut „prophetia Scripturae" comparative loquendo non ab iis, sed ab ipso procederet [1].

Corollarium. Si quaeras, *quorumnam* librorum V. T. inspiratio per praedicta probetur, respondendum est; saltem omnium proto- canonicorum; probabilius vero, imo probabilissime omnium omnino librorum; vix enim dubium est, „sacras literas", quas Timotheus hellenista ab infantia noverat, fuisse versionem LXX, etiam deuteros continentem [2]. 38.

2⁰ Pro *quibusdam libris N. Test.* 39.

a. In *Ep. II Petri* haec leguntur: „Domini nostri longanimitatem salutem arbitremini, sicut et charissimus frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut et in omnibus epistolis, loquens in iis de his, in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem" [3].

Igitur s. Petrus quasdam epistolas paulinas „ceteris Scripturis" aequiparat, proinde implicite testatur, eas ex inspiratione esse conscriptas.

Non possumus cum certitudine determinare, quaenam fuerint „illae omnes epistolae", quas b. Petrus directe spectabat [4]: verum ipse loquendi modus indeterminatus „sicut in omnibus epistolis" aliquid amplius insinuare mihi videtur. Nonne verba Petri profecta esse videntur ex hac persuasione: cuncta scripta, quae charissimus

[1] Textum hunc nonnisi ad *illustrandam* significationem vocis *θεόπνευστος* adhibemus; nam a. non constat, eum agere de *hagiographis* qua talibus, quum non improbaliter de prophetis in sensu stricto sive loquentibus, sive saltem scribentibus, intellegi queat; et b. quia praeciso testimonio ecclesiae origo apostolica hujus epistolae minus probatur. — [2] Cfr. supra n⁰ 15. — [3] *II Petr.* 3, 15—16. Minus constat utrum legendum sit: *ἐν πάσαις ταῖς ἐπιστολαῖς*, an: *ἐν πάσαις ἐπιστολαῖς*. — [4] Convenientissme intelleguntur

frater noster Paulus ad perfungendum munere suo apostolico condit, „ceteris Scripturis" aequiparantur, proinde inspirata habenda sunt? Quod si verum est, nulla ratio excogitari potest, quare b. Petrus ita de uno Paulo judicasset, et non etiam de reliquis apostolis ex officio scribentibus. Et ita, ni fallimur, textus petrinus inspirationem omnium scriptorum apostolicorum quodammodo insinuat.

Attamen monere debemus, originem apostolicam *Ep. II Petri* ex solis documentis historicis non certo probari; hinc qui mere historice procedere debet, testimonium praedictum *ut petrinum* urgere nequit. Manet tamen testimonium fidei antiquissimae ecclesiae.

40. Argumentum probabile pro inspiratione *Evang. sec. Luc.* deduci solet ex verbis s. PAULI: „Dicit enim Scriptura: non alligabis os bovi trituranti, et: dignus est operarius mercede sua" [1]; nam sententia: „Dignus est", cet. sub hac forma nullibi in Scriptura invenitur nisi apud *Luc.* **10**, 7. Verum quia verba: „Non alligabis" desumpta sunt ex *Deut.* [2], suspicari licet etiam alium textum „Dignus est" esse applicationem ad sensum eorum, qua ibidem [3] leguntur.

41. II *Argumenta non-scripturistica.*

S. CLEMENS ROM.; „Inspexistis dilligenter Scripturas, quae verae sunt et datae per Spiritum Sanctum *[τὰς ἱερᾶς γραφάς, τὰς ἀληθεῖς, τὰς διὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου]*" [4]. — Verba imprimis intellegenda videntur de Vet. Test., non tamen unice; nam s. Clemens non tantum plures textus Novi Test. laudat, sed praeterea de s. Paulo aperte dicit: „Certe divinitus inspiratus *[πνευματικῶς]* ad vos literas misit" [5].

S. POLYCARPUS loquitur de „sacris literis" in quibus Philippenses exercitati erant, et statim laudat textum paulinum sub formula „ut in his Scripturis dictum est" [6]. Igitur epistolas s. Pauli

---

cunctae epistolae paulinae, quas ecclesiae tunc temporis jam habebant. Porro sententia communior catholicorum habet, *Ep. II Petri.* scriptam esse paulo ante mortem apostoli, a. 66 vel 67, igitur post omnes epistolas paulinas, una *II Tim.* forte excepta. — [1] *I Tim.* **5**, 18. — [2] *Deut.* **25** 4. — [3] L. c., **24**, 14. [4] *Ep. I ad Cor.* **45**. — [5] L. c., **47**. — [6] *Ep. ad Philipp.* **12**.

aequiparavit „sacris literis". quarum inspirationem certe generatim admisit. — Idem valet *de Ep. s. Barnabae* tributa, ubi Evang. sec. Mt. laudatur cum formula: „sicut scriptum est." [1]

S. JUSTINUS. M. (vel alius auctor) de scriptoribus V. T. dicit, eos res magnas et divinas non humanitus cognovisse „sed eo, quod tum in sanctos homines decendebat, dono" [np. Spiritu s.]; proinde iis opus fuit, „puros seipsos divini Spiritus operationi praebere, ut divinum illud delapsum e coelis plectrum, velut quodam citharae aut lyrae instrumento, ita justis hominibus utens, divinarum nobis et coelestium rerum cognitionem recluderet". Hinc semper sibi invicem consentiunt, licet „variis locis et temporibus divinam nobis doctrinam traderent" [2]. Alibi s. Justinus primum aperte testatur inspirationem prophetarum, deinde innuit „commentarios apostolorum" [Evangelia] apud christianos practice in eodem censu haberi cum „scriptis prophetarum" [3].

ATHENAGORAS de Mose, Isaia, Jeremia, cet. dicit: „Mente et 42.
animo extra se rapti, impellente Spiritu Sancto, quae ipsis inspirabantur ea sunt locuti, utente illis Spiritu Sancto, sicut si tibiam inflet tibicen" [4].

S. IRENAEUS: „Scripturae quidem perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu ejus dictae" [5]. De apostolis dicit: Evangelium quidem „tunc praeconaverant, postea vero per voluntatem Dei in Srcipturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostrae futurum" [6]. Quomodo autem illud „per voluntatem Dei" intellegendum sit, patet ex alio loco, ubi habetur: „Praevidens Spiritus Sanctus depravatores, et praemuniens contra fraudulentiam eorum, per Matthaeum ait: Christi autem generatio sic erat" [7].

S. THEOPHILUS ANTIOCH. errorem de Verbo Dei propulsando dicit: „Haec non docent Scripturae sanctae, et quotquot Spiritu

---

[1] *Ep. Barnab.* **4**, 14. — [2] *Cohort. ad graecos*, n° 8, cfr. n° 10. Communius dicitur, *Cohortationem* non a s. Justino, sed ab ignoto auctore saec. II vel saec. III ineuntis conscriptam esse: BARDENHEWER, *Gesch. d. Altk. Lit.* I, p. 203; eam esse genuinum opus s. Justini nuper ostendere conatus est WIDMANN in *Forsch. z. christl. Litt.- u. Dogmengesch*, III, 1902. — [3] *Apol. I.* n° 36 et 67. — [4] *Legat pro Christianis.* n° 9. — [5] *Adv. Haer.* II, **28**, 2. — [6] L. c., III, **1**. — [7] L. c., III, **16**, 2.

Sancto afflati fuere *[πάντες οἱ πνευματοφόροι]*, ex quibus Joannes dicit: In principio erat Verbum" [1]. — „Consentaneae inveniuntur prophetarum et evangeliorum sententiae, propterea quod omnes uno Dei afflati Spiritu locuti sunt"; et mox textus paulinos laudat ut „verbum Dei" *[θεῖος λόγος]* [2].

CLEMENS ALEX.: „Possem tibi innumeras scripturas afferre, quarum ne apex quidem unus praeteribit, qui non perficiatur; nam os Domini, Spiritus Sanctus, ea est elocutus" [3]. — „Qui divinis Scripturis credit, habet demonstrationem irrefragabilem, vocem scilicet Dei, qui Scripturas dedit" [4].

S. HIPPOLYTUS: „Quomodo ipse [Deus] per sanctas Scripturas docere voluit, sic intellegamus" [5].

43. TERTULLIANUS: „Apostolus [Paulus] eodem utique Spiritu actus, quocum omnis Scriptura divina, tum et illa Genesis digesta est" [6]. „Qui putaveris nihil nos de salute caesarum curare, inspice Dei voces, literas nostras . . Orate, inquit, pro regibus et pro principibus [*I Tim.* 2, 2]" [7]. Alibi testatur ecclesiam romanam in eodem censu habere vetus test. cum novo: „Legem et prophetas cum evangelicis et apostolicis literis miscet, et inde potat fidem" [8].

S. CYPRIANUS: „Obtemperandum fuit, fili carissime, desiderio tuo spirituali ex impensissima petitione divina magisteria poscenti, quibus nos Dominus per Scripturas sanctas erudire et instruere dignatus est" [9].

ORIGENES: „Deus justus et bonus, pater d. n. J. C., legem et prophetas et evangelia ipse dedit. Sane quod Spiritus s. unumquemque sanctorum vel prophetarum vel apostolorum inspiraverit, et non alius Spiritus in veteribus, alius vero in his, qui in adventu Christi inspirati sunt, fuerit, manifestissime in ecclesiis praedicatur" [10]. —, „Dicemus, in confesso esse apud utrosque [judaeos et christianos] libros [V. T.] divino Spiritu esse scriptos, de illorum autem interpretatione nos cum judaeis dissentire" [11].

---

[1] *Ad Autolyc.* II, 22. — [2] L. c., III, 12; 14. — [3] *Protreptic.* 9. — [4] *Strom.* II, 2. — [5] *C. Noetum* 9; cfr. 11. — [6] *De Oratione*, 22. — [7] *Apolog.* c. 31. — [8] *Praescript.* 36. — [9] Prooem. ad. *Libr. Testimon.* — [10] *De princip.* praef nº 4, cfr. nº 8, et l. IV, nº 1 et nº 6. — [11] *C. Celsum*, V, 60.

EUSEBIUS CAESAR. citat antiquum auctorem, invehentem in Artemonianos [Anti-trinitarios saec. III ineuntis], „quod divinis Scripturis manus audacter intulerunt . . . Aut enim sacras Scripturas a s. Spiritu dictatas esse non credunt, ac proinde infideles sunt, aut semetipsos Spiritu Sancto sapientiores esse existimant, ac proinde quid aliud sunt quam daemoniaci" [1]. 44.

S. CYRILLUS HIER.: „Ista nos docent divinitus inspiratae veteris et novi Testamenti Scripturae"; et mox s. Scripturas dicit „a Spiritu s. dictatas" [2].

S. ATHANASIUS memorat „divinas Scripturas, quas ad salutem habemus"; dolet quod nonnulli „Scripturae divinitus inspiratae" apocryphos miscent, et concludit: „Contenti simus Scriptura divinitus inspirata, quae nos edoceat, cujus libros supra indicavimus" [3].

S. BASILIUS: „Neque lectiones negligas novi testamenti maxime, propterea quod saepe ex veteri testamento oritur detrimentum; non quod scriptae sint res noxiae, sed quod eorum qui laeduntur, mens infirma. Omnis enim panis ad alendum idoneus, sed nocet infirmis. Sic igitur omnis Scriptura divinitus inspirata est atque utilis, nec in ea quidquam inquinatum" [4].

S. CHRYSOSTOMUS: „Deus ab initio per seipsum hominibus loquebatur, . . . sed quia sua familiaritate postea indigni facti fuerunt . . quasi longe absentibus literas mittit. Et has quidem literas dedit Deus, attulit autem Moyses" [5]. — „Neque enim vel syllaba vel apiculus est in sacris literis, in cujus profundo non sit grandis quispiam thesaurus . . . Nam si in saecularibus negotiis scripta ab una syllaba multum momenti habent, multo magis hoc in Scripturis divinis, a Spiritu s. compositis, invenitur" [6]. 45.

S. AMBROSIUS in verba *Luc.* I, 1: „Multi conati sunt ordinare narrationem", cet. scribit: „Non conatus est Matthaeus, non conatus est Marcus, non conatus est Joannes, non conatus est Lucas; sed, divino Spiritu ubertatem dictorum rerumque omnium ministrante, sine ullo molimine coepta compleverunt" [7]. — „Negant

---

[1] *H. E.*, V, 28. — [2] *Cat.* **4**, 33, 34. — [3] *Ep. fest.* 39; cfr. supra n° **26**. [4] *Ep. 42 ad Chilonem*, n° **3**. — [5] *Hom. 2 in Gen.* n° **2**. — [6] *Hom. 21 in Gen.* n° **1**. — [7] *Exp. Evang. Luc.* l. I, cp. **1**.

plerique nostros secundum artem scripsisse. Nec nos obnitimur, non enim secundum artem scripserunt, sed secundum gratiam quae super omnem artem est: scripserunt enim quae Spiritus iis loqui dabat" [1].

S. HIERONYMUS scribit: Nonnulla in versione latina evangeliorum emendavi, non quod „aliquid de verbis Domini corrigendum putaverim, aut non divinitus inspiratum, sed latinorum codicum vitiositatem ad graecam originem" volui emendare [2].

46. S. AUGUSTINUS: „De illa civitate unde peregrinamur [coelo] literae nobis venerunt, ipsae sunt Scripturae, quae nos hortantur ut bene vivamus" [3]. — „Hic [Filius Dei] prius per prophetas, deinde per seipsum, postea per apostolos, quantum satis esse judicavit, locutus, etiam Scripturam condidit quae canonica nominatur, eminentissimae auctoritatis" [4]. — „Itaque quum illi [Evangelistae] scripserint quae ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est quod ipse non scripserit; quandoquidem membra ejus id operata sunt, quod dicitante capite cognoverunt. Quidquid enim ille de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tamquam suis manibus imperavit" [5].

THEODORETUS contra eos, qui dicebant non omnes psalmos a David scriptos esse, observat: „Ego de his sane nihil affirmo. Quid enim mea refert, sive hujus omnes, sive illorum [np. aliorum] aliqui sint, cum constet divini Spiritus afflatu universos esse conscriptos" [6].

47. S. GREGORIUS M.: „Quis haec [librum Job] scripsérit, valde supervacue quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit . . . Cum igitur rem cognoscimus, ejusque rei Spiritum s. auctorem tenemus, quia scriptorem quaerimus, quid aliud agimus, nisi legentes literas, de calamo percontamur . . . Scriptores igitur sacri eloquii, quia impulsu s. Spiritus agitantur, sic de se in illo testimonium tamquam de aliis proferunt. Ergo s. Spiritus per Moysem locutus est de Moyse; s. Spiritus per Joannem locutus est de Joanne. Paulus

---

[1] *Ep. 8 ad Justum*, n° **1**. — [2] *Ep. 27 ad Marcellam*, n° **1**. — [3] *In Ps. 90*, Enarr. 2, n° **1**. — [4] *De Civ.*, XI, 3; cfr. *Confess.* VII, **21**, 27. — [5] *De Concensu Evang.* I, **35**, 54. — [6] *Praef. in Ps.*

quoque, quia non ex seipso loqueretur, insinuat dicens: An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus"[1].

Corollarium. Argumentum traditionale non infirmatur ex eo, **48.** quod etiam scripta s. patrum et decreta conciliorum aliquoties Spiritui s. inspiranti, imo dictanti tribuuntur[2]. Dummodo enim integrae s. patrum doctrinae et practicae ejus applicationi rite attenderis, facile videbis, eos haud eodem sensu libros canonicos aliaque scripta humanae originis Spiritui s. tribuisse. Exemplo sit s. AUGUSTINUS, qui postquam dixerat, s. Hieronymum „non tantum donante, verum etiam dictante Spiritu" scripsisse, mox apertissime subjungit: „Ego fateor charitati tuae: solis iis Scripturarum libris, qui canonici jam nominantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam"[3].

III. *Argumentum indirectum* pro inspiratione totius Scripturae **49.** utriusque testamenti deducitur ex canonicitate.

Quaestio de libro in canonem recipiendo ex mente ss. patrum semper includebat quaestionem de inspiratione illius libri. Non enim simpliciter quaerebatur, num talis liber esset utilis tantum vel pius, sed num accensendus esset collectioni illorum librorum, de quorum inspiratione divina apud omnes constabat.

Scimus utique, faciem directam et explicitam controversiae nonnumquam aliud spectasse, imprimis originem libri apostolicam, sed ultima ratio disceptationis aut dubii semper fuit, num talis liber aequiparandus esset libris inspiratis, tum quoad absolutam auctoritatem, tum etiam quoad intimam hujus auctoritatis causam, np. inspirationem. Dico: etiam quoad intimam auctoritatis causam, nam **a.** numquam ss. patres vel levissime innuunt, ultimam rationem dignitatis et auctoritatis pro diversis libris „Scripturae" esse diversam. Praeterea **b.** reverentia patrum erga scripturas inspiratas tanta fuit, ut iis nequaquam simpliciter aequiparassent librum, quantumvis

---

[1] *Moral.* l. I, praef. n° 2. — [2] Cfr. TERTULL. *De cultu fem.* I, 3; S. AUGUST. *Ep. 82, ad Hieron.* 2; S. LEO M. *Ep. 145*, 1. — [3] L. c., n° 3.

veracem et utilem, quem sola humana industria concinnatum esse credidissent.

Igitur I⁰ Ex eo, quod libri longe plerique statim absque ulla controversia universaliter recepti sunt, constat eorum inspirationem semper apud omnes in confesso fuisse. 2⁰ Ex eo, quod patres reliquos libros saltem ab initio saec. V consensu moraliter unanimi susceperunt, iterum constat, horum inspirationem saltem ex tunc eadem universalitate fuisse admissam.

50. Inferes, etiam hic applicari quod in fine superioris articuli diximus: praecisa auctoritate infallibilis ecclesiae, solis documentis historicis cum certitudine probatur inspiratio librorum longe plurimorum, non vero omnium. Certe non defuerunt argumenta, quibus permoti patres quarti et quinti saeculi judicium ratum et fixum de inspiratione deuterorum tulerunt, verum haec argumenta nobis nonnisi ex parte conservata sunt; in quantum vero servata exsistunt, exponuntur ab auctoribus biblicis, ad quos pertinet doctrinam antiquorum patrum de *singulis* libris explorare.

51. *Corollarium.* In controversiis de recipiendis libris deuteris N.T., imprimis *Apoc*, et *Ep. ad Hebr.* quaestio explicita et directa plerumque fuit, num liber originem haberet ab uno ex apostolis. Vindicata origine apostolica, liber Scripturis accensebatur, secus apocryphus judicabatur. Hinc quaeritur, num charisma apostolatus a patribus habitum sit, et consequenter etiam a nobis habendum sit criterium inspirationis? Porro genuinus sensus quaestionis non est, num de inspiratione alicujus libri constare possit absque testimonio divino, sed potius: num hujusmodi testimonium jam implicite contineatur in origine apostolica, in facto scil. quod liber conditus fuit ab apostolo qua tali, i. e. in exercitio muneris apostolici.

52. Sententia communior negat; plures tamen auctores Lamy, Reithmayr, Ubaldi, Cellerier, Székely, Schanz [1], Joüon [2] affirmant,

[1] *Apol. des Christentums*, II³, § 20, p. 608, seq. — [2] *Études*, **98** (1904) p. 80.

quorum sententia, dummodo rite exponatur, verior nobis videtur.

Concedendum est, apostolatum *secundum se spectatum* non includere inspirationem ad scribendum. Plures viri ex collegio apostolico nullam Scripturam condiderunt et tamen veri apostoli fuerunt, i.e. nullo praerogativo ad apostolatum intrinsecus pertinente caruerunt. Nec repugnat apostolus ex officio scribens absque inspiratione, sicut v.g. repugnat apostolus loquens aut scribens sine charismate infallibilitatis in rebus fidei et morum.

Censemus tamen charisma inspirationis de facto *extrinsece connexum* fuisse cum apostolatu, ita ut apostoli, quoties in perfungendo suo munere apostolico aliquid scriberent, de facto semper fuerint inspirati; censemus praeterea hanc connexionem extrinsecam sed realem antiquae ecclesiae fuisse cognitam, imo eam ex *II Petr.* **3**, 15—16 aliquatenus insinuari. Nisi enim exsistentia et notitia hujusmodi connexionis admittatur, modus argumentandi ss. patrum non satis explicatur [1]. Praeterea nemo ex antiquis patribus testimonia *explicita* pro inspiratione singulorum librorum N. T. cognovisse videtur.

Porro notum est charismata extraordinaria Spiritus Sancti non **53.** solis apostolis, sed etiam multis ex eorum cooperatoribus immediatis, diversa licet mensura, fuisse concessa. Hinc mirum non est, etiam charisma inspirationis quibusdam viris apostolicis, Marco, Lucae, impertitum fuisse. Verum quia soli apostoli fundamentum ecclesiae exsistebant [2], necesse fuit, libros horum virorum apud ecclesiam aliqua ratione ut inspiratos accreditari per unum ex apostolis: origo mediata apostolica. Hinc ab antiquissimis temporibus evangelium Marci ad s. Petrum, evangelium Lucae ad b. Paulum referebatur, imo nonnulli patres disertam horum librorum approbationem per unum ex apostolis memorant [3].

---

[1] Nonne s. AUGUSTINUS, agens de quibusdam apocryphis, diserte dicit „Quae si illorum [apostolorum] essent, recepti essent ab ecclesia Dei" (*C. adv. Leg.* I, **20**, 39).— [2] Cfr. *Ephes.* **2**, 20. — [3] Cfr. TERTULLIANUS, *C. Marcion*, IV, 5, cfr. 2; EUSEBIUS, *H. E.* II, 15; III, **24**; s. HIERONYMUS, *De Vir.* 8. En quomodo rem concipit p. JOÜON: „L'apôtre, chaque fois qu'il écrit en apôtre, est inspiré. Il n'est pas nécessaire, qu'il écrive lui-même. Marc et Luc sont personnellement inspirés, mais leur charisme est *objectivement* conditionné. Dieu ne leur a conféré l'inspiration scripturaire et cette inspiration ne nous est connue qu'aux deux conditions suivantes: ils ont réproduit l'enseignement des

54. **Scholion.** *De extensione inspirationis ad omnes partes Scripturae.* Tum saec. XVII [1], tum praesertim saeculo XIX ad finem vergente [2] nonnulli auctores putarunt doctrinam de inspiratione ita accipi posse, ut influxus Dei se non aequaliter extenderet ad omnes partes genuinas Scripturae, sed coarctaretur ad eas, quae attento fine Scripturarum, principaliores dicendae sunt. Missis diversitatibus inferioris momenti [3] docebant, hagiographos ea, quae religionem, fidem et mores spectant, quae ad finem a Deo intentum necessario faciunt, ex influxu divino conscripsisse, cetera, np. res mere historicas, geographicas, chronologicas, physicas, uno verbo profana aut accessoria, non agente sed permittente Spiritu Sancto. Quod ideo potissimum asserebant, ut salvo dogmate catholico concedere possent, in partibus accessoriis ss. librorum quosdam veri nominis errores inveniri. Intellegebant siquidem, quod infra ex professo dicturi sumus, influxum inspiratorium, si talis est ut per eum Deus verus auctor verbi scripti exsistat, omnem errorem necessario excludere.

55. Hujusmodi limitationem inspirationis nulla ratione posse admitti, diserte declaravit LEO XIII: „Nefas omnino fuerit, inspirationem ad aliquas tantum s. Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Neque enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus [ex scientiis profanis petitis] sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes, inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum quum agitur, non adeo exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur, quam ob

---

apôtres et la fidélité de la réproduction nous est garantie par ceux-ci. L'inspiration des apôtres a donc été connue *dans* leur caractère apostolique, celle de Marc et de Luc dans leur apostolicité derivée (l. c., p. 90). — [1] Holden; postea Chrismann. — [2] Lenormant, Rohling, card. Newman, di Bartolo, d'Hulst, Semeria, Didiot (ex quibus plures doctrinam suam correxerunt.) [3] Ad diversitates inferioris momenti etiam pertinet, quod nonnulli (di Bartolo, d'Hulst) *nomen* quidem inspirationis pro tota Scriptura servabant, sed, distinguendo varios gradus inspirationis, *pro rebus profanis non cum admittebant influxum, per quem Deus sit verus auctor harum partium.* Siquidem haec theoria „inspirationis *mitigatae*" quum reapse sit negatio illius inspirationis, quam ecclesia docet, a theoria „inspirationis *limitatae*" verbotenus tantum differt.

causam ea dixerit" [1]. — Et merito quidem ita docuit summus pontifex; nam ut alia quae rem forte non omnino conficiunt omittamus, hujusmodi limitatio contradicit *traditioni catholicae*. Siquidem ss. patres consensu saltem moraliter universali ét inspirationem totius Scripturae diserte testantur, ét ideo omnem veri nominis errorem ab universa Scriptura excludunt, quia eam per totam inspiratione divina conditam esse credunt: „professi unanimes, libros eos ét integros ét per partes a divino aeque esse afflatu, Deumque ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse" [2].

Adversarii id praecipue urgent, inspirationem ultra finem suum non extendi, finem autem esse docere religionem, nihil praeterea. **56.**

Concedendum est, finem proprium Scripturae esse, ut homines doceantur veritates theoreticas et practicas ad vitam aeternam conducentes [3]. Hinc merito infertur, solas res ex se ad religionem pertinentes, (sub quibus tamen comprehenduntur multa facta historica, nexum internum cum doctrinis habentia) *propter se* et *ex primaria Dei intentione* inspiratas esse; sed non sequitur, cetera, quae natura sua aut nullatenus aut remotissime tantum ad religionem faciunt, ab influxu inspiratorio excludi, potuerunt enim inspirari *ex intentione secundaria*, i.e. *propter alia*, np. propter res religiosas utilius et convenientius manifestandas. Et ita reapse factum esse, ex traditione catholica constat. Nec desideratur ratio gravissima, quare Deus ita agere voluerit.

Ad auctoritatem Scripturae plurimum confert, ut omnia, quae in ea continentur, inspirata esse noscantur. Etsi enim in nonnullis casibus prompte dijudicatur, quid religiosum sit, quid non, fines haud semper facile discernuntur. Hinc nisi omnia inspirata essent, saepe fluctuaret legentium et exponentium sententia, testimonia scripturistica passim rejicerentur sub praetextu non-inspirationis, cet. Igitur ad inconcussam auctoritatem s. Scripturae necesse fuit, **57.**

[1] Enc. *Providentissimus*, in *Leonis XIII allocut.* cet (Ed. Desclée) V, p. 221. [2] Enc. *Providentissimus*, l. c., p. 222; CORLUY in *Science catholique*, 1893, p. 481 et FONCK, *Der Kampf um d. Wahrheit der h. Schrift.* p. 21. — [3] Cfr. *Rom.* **15**, 4; *II Tim.* **3**, 15—17.

aut inspirationem ad omnia et singula extendere, aut res profanas e Scriptura excludere. Atqui hoc ultimum fuisset valde inconveniens. Sane **a.** permulta, quae prima facie videntur mere historica, mediate quidem sed plurimum conferunt ad eruditionem religiosam, quatenus aut divinam providentiam in praeparando condendoque regno Dei, in sortibus hominum moderandis, cet. nobis ob oculos ponunt, aut describunt vitas sanctorum quidem in exemplum, iniquorum vero in documentum. Manifestum autem est, hujusmodi historias convenienter ordinari non potuisse, quin continuo miscerentur plurima particularia, chronologica, topographica, genealogica, tralatitia, uno verbo mere profana, sine quibus liber esset insipidus, proinde minus aptus ad suum finem. **b.** Ad defensionem veritatis religiosae non parum confert, ut auctoritas historica librorum, in quibus continetur, etiam internis criteriis suadeatur. Atqui hujusmodi criteria maxima parte habentur ex notitiis profanis passim adjectis. **c.** Suavis Dei providentia Scripturam ita condere voluit, ut libri divini simul essent vere humani. Hinc afflatum suum accommodabat conditionibus tum eorum, quos ut instrumenta ad scribendum assumebat, tum illorum ad quos libri proxime destinabantur. Huc pertinet, quod scriptio externis occasionibus respondebat, quod pro adjunctis eligebatur species literaria, modo historica, modo didactica, poetica, epistolaria, cet. Atqui consequentia hujus oeconomiae postulabat, ut Spiritus s. hagiographos moveret ad permiscendum ea accessoria, quae homines tali forma literaria utentes communiter adjicere solent. Hinc salutationes in fine epistolarum, quaedam particularia ad necessitates corporales pertinentia [1], aliaque id genus.

Porro doctrinae modo expositae minime contradicit celebre effatum AUGUSTINI: „Spiritum s., qui per ipsos [hagiographos] loquebatur, noluisse ista [figuram coeli, cet.] docere homines, nulli saluti profutura" [2]. Tantum abest, ut Augustinus res profanas inspirationi subtraxerit, ut eas diserte sub inspiratione comprehenderit. Lege contextum. Verum quia finis Scripturae non est docere figuram coeli, cet., intellexit, s. auctores in hujusmodi rebus descri-

[1] Cfr. v. g. *I Tim.* **5**, 23; *II Tim.* **4**. 13; *Philem.* 22. — [2] *De Gen. ad lit* II, **9**, 20.

bendis adhibere potuisse modum loquendi vulgarem et improprium, et inde conclusit in talibus sensum obvium Scripturae non esse urgendum contra certa scientiae naturalis placita.

Corollarium. Ex praedictis intellegitur, quo sensu et quo jure **58.** distinguuntur in s. Scriptura *loci inspirati per se* vel propter se, et *loci inspirati per accidens* vel propter alia. Illi nonnumquam vocantur *per se dogmatici*, hi *per accidens dogmatici*.

ART. III.

DE NATURA ET CONSECTARIIS INSPIRATIONIS [1].

I Admisso facto inspirationis, necessario dicendum est, libros s. **59.** Scripturae *duos* habere *auctores*; conscripti enim sunt ab hominibus, quos hagiographos vocamus, et nihilominus sunt „verbum Dei", Deum vel (per appropriationem) Spiritum s. habent auctorem. Ex textibus autem in superiori *art.* allatis aperte didicimus habitudinem duarum causarum ad invicem: Spiritus s. agebat seu ferebat hagiographum, per os hagiographi loquebatur; hagiographus loquebatur in Spiritu, per Spiritum, cet. Igitur Deus Scripturam causavit mediante homine, Deus est ejus causa sive *auctor principalis*, hagiographus causa sive *auctor instrumentalis*. S. THOMAS: „Auctor principalis Scripturae sanctae est Spiritus s., homo autem fuit auctor instrumentalis" [2]. Idem habet LEO XIII, docens: „Spiritum s. assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum" [3]. Nec aliud reapse significatur, quoties Deus vocatur auctor primarius, homo auctor secundarius.

---

[1] Cfr. praeter Auctores p. 18 laudatos, PÈGUES, *Une pensée de s. Thomas sur l'Inspiration*, in *Rev. Thomiste*, 1895; LÉVESQUE, *Essai sur la nature de l'Inspiration*; in *Rev. d. Facultés cath. de l'Ouest*, 1895; cfr. *Rev. Bibl.* 1895—1896; LAGRANGE, *L'Inspiration des Livres Saints*, et *L'Inspiration et les exigences de la critique*, in *Rev, Bibl.* 1896; *Ned. Kath. Stemmen*, 1905, p. 162; S. SCHIFFINI, *Divinitas Scripturarum*, 1905. — [2] *Quodlib.* VII, a. 14 ad 5. — [3] Enc. *Providentissimus*, l. c., p. 221.

Porro si haec vera sunt, doctrina de habitudine causae principalis et instrumentalis tum ad invicem, tum ad effectum, multum conferre debet ad naturam inspirationis saltem aliquatenus intellegendam et genuinam ejus notionem praeparandam.

60. I° De ratione *causae principalis* est, quod *faciat agere instrumentum*. S. THOMAS: „Causa instrumentalis agit per motum, quo movetur a principali agente" [1]. Statim sequitur errasse eos, qui inspirationem Scripturae ita acceperunt, ut veram motionem Dei, causae principalis, in hagiographum aut non admitterent aut ad aliquas tantum Scripturae partes coangustarent. Igitur rejicienda est:

61. **a.** Opinio *Dan. Haneberg* (a. 1850), qui docuit librum sola humana industria compositum, posse fieri s. Scripturam si postea ab ecclesia approbetur et in canonem referatur. — Hanc doctrinam respicit conc. vatic. dicens: „Eos [libros] ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati, . . . sed," cet [2].

b. Opinio, quae venire solet nomine *Lessii* et *Duhamel* (a. 1587): „Liber aliquis (qualis forte est *II Machab.*) humana industria sine assistentia Spiritus s. scriptus, si Spiritus s. postea testatur, nihil ibi esse falsum, efficitur Scriptura sacra" [3]. — Opiniones sub **a.** et **b.** relatae nonnumquam decorantur nomine *inspirationis subsequentis;* quod est manifesta contradictio in adjecto.

c. Opinio *Jo. Jahn* (a. 1814), qui nomine usitato quidem sed minus apto (ut ait) inspirationis intellegendam putavit assistentiam Dei mere negativam, quae nihil inspirasset, nihil docuisset, sed solos errores praecavisset; *inspiratio negativa*. Hunc errorem respicere videtur conc. vatic. dicens: „Eos [libros] ecclesia pro sacris . . . habet non ideo duntaxat, quod revelationem sine errore contineant. sed quia, cet. [4].

---

[1] *S. Th.* III, **62**, **1**. — [2] Const. *De fide cath.* cp. 2. — Cl. Haneberg, ep. spirensis, post conc. vatic, in ed. 4 operis sui *Geschichte der Offenbarung* (1876) sententiam suam emendavit. — [3] De hac aliisque thesibus a. 1587—1588 acriter disputatum est inter universitatem et Jesuitas lovanienses. Lessius et Duhamel parenthesin de libro *II Mach.* ut suam non admiserunt; praeterea Lessius in ep. ad archiep. mechlin. sensum theseos nonnihil emollivit. Cfr. DAUSCH, l. c., p. 146. — [4] L. c.

d. Opinio *Jac. Bonfrere* (a. 1625), secundum quem ad inspirationem sufficit, si Deus modo generali hominem excitet ad talem historiam scribendam, ei continuo invigilet paratus ad interveniendum, denique positivo influxu interveniat, quoties sine hujusmodi interventu conscriptor errasset [1]. — *Inspiratio concomitans;* quae praecise quatenus concipitur ut concomitans non est inspiratio.

62. 2° De ratione *causae instrumentalis* est, quod habeat duplicem actionem, instrumentalem ac propriam, et quod instrumentalem actionem non perficiat, nisi *exercendo actionem propriam*. S. THOMAS: „Instrumentum habet duas actiones; unam instrumentalem, secundum quam operatur non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis; aliam habet actionem propriam, quae competit sibi secundum propriam formam, sicut securi competit scindere ratione suae acuitatis, facere autem lectum in quantum est instrumentum artis; non autem perficit instrumentalem actionem nisi exercendo actionem propriam, scindendo enim facit lectum" [2].

Jam in nostra materia Deus hominem adhibere voluit tamquam instrumentum ad scribendum verbum Dei (actio instrumentalis, superans naturam hominis.) Quaeritur autem quomodo homo ad hunc effectum concurrerit, qualis fuerit actio propria hagiographi sub motu Dei.

63. **a.** Praesumendum videtur, hagiographos opus Dei perfecisse exercendo actionem naturae suae convenientem, *actionem* scil. non mechanicam, sed vere *humanam* i. e. *intellectivam ac liberam*. Deum non decet violentiam inferre creaturis suis, hominibus uti tamquam instrumentis mere mechanicis, quorum manus tantummodo moveatur, ita ut „mente perturbata et sicut arreptitii" [3] eloquia Dei conscribant. Contra suavi providentiae omnino congruit, ut homine utens, utatur actionibus vere humanis, ita np. ut hagiographus per influxum divinum res scribendas intellectu concipiat et libera voluntate ad earum consignationem procedat. Neque nimis fidenter dicas, sub motu Dei efficaci non dari locum actionibus

[1] Cfr. DAUSCH, l. c., p. 153. — [2] *S. Th. III*, **62**, I ad 2 — [3] Cfr. *S. Th.* II, **173**, 3 ad 4.

vere humanis, nam etiam in hac materia applicatur principium s. THOMAE: „Motus primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, sed in unoquoque secundum proprium modum, et sic non repugnat, quod Deus est causa actus liberi arbitrii" [1].

Jam si Scripturam aperimus, videmus, hagiographos reapse non manu tantum, sed intellectu et voluntate sua ad condendum verbum Dei collaborasse. Auctor libri *II Mach.* scribit: „Ab Jasone cyrenaeo quinque libris comprehensa, tentavimus nos uno volumine breviare... Nobis non facilem laborem, imo vero negotium plenum vigiliarum ac sudoris assumpsimus" [2]. Praeterea in fine libri adjicit, viribus suis tribuendum esse, si ordinatio rerum imperfecta et mediocris videatur: *Καὶ εἰ μὲν καλῶς καί εὐθύκτως τῇ συντάξει, τοῦτο καὶ αὐτὸς ἤθελον· εἰ δὲ εὐτελῶς καὶ μετρίως, τοῦτο ἐφικτὸν ἦν μοι* [3]. — Etiam s. Lucas testatur se libera voluntate ad evangelium scribendum processisse, quum omnia ab exordiis diligenter explorasset: „Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quae in nobis completae sunt rerum,... visum est et mihi, assecuto omnia a principio dilligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile" [4].

64. b. Adhuc praesumendum videtur, hagiographos opus Dei perfecisse, exercendo actionem propriam, *modo singulorum indoli, culturae, ceterisque dispositionibus peculiaribus proportionato.* Quodsi reapse factum fuerit, ingenium, dispositiones, adjuncta hagiographi ex libro inspirato cognosci poterunt, quemadmodum v. g. ex imagine depicta cognoscitur utrum pictor cretam an carbonem, stilum acutum an obtusum adhibuerit.

Praesumptioni iterum respondet veritas. S. HIERONYMUS: „De Isaia sciendum, quod in sermone suo disertus est, quippe ut vir nobilis et urbanae eloquentiae". „Jeremias sermone quidem videtur esse rusticior. Porro simplicitas eloquii a loco [viculo quodam] ei, in quo natus est, accidit" [5]. S. IRENAEUS observat, b. Paulum frequenter uti hyperbatis „propter velocitatem sermonum suorum et propter impetum qui in ipso est spiritus" [6]. — S. AUGUSTINUS

[1] *De malo.* **3**, 2 c. et ad 4. — [2] *II Mach.* **2**, 24—27. — [3] L. c.. **15**, 39. — [4] *Luc.* **1**, 1—3. — [5] *Praefat. in Isa.* et *in Jerem.* — [6] *Adv. haer.* III, **7**, 2.

de evangelistis scribit: „Ut quisque meminerat et ut cuique cordi erat, vel brevius vel prolixius, eamdem tamen explicare sententiam, ita res explicasse manifestum est" [1]. Etiam s. Chrysostomus discrepantias evangeliorum inde explicat, quod evangelistae non ex conventione, sed diversis locis ac temporibus scripserunt [2]. Ceterum omnes exegetae ex scopo et conditionibus hagiographorum explicare nituntur, quare v. g. hanc rem omiserint aut illam tali modo retulerint; nec quisquam hujusmodi quaestiones proxime ex voluntate Dei et inspiratione solvendas esse autumat. Nonne auctores catholici, haud secus ac rationalistae, in solvenda quaestione synoptica laborant?

Igitur, quamvis rem positive non intellegamus, omnino concedendum est, hagiographos sub motu et influxu Spiritus s. habuisse actionem vere humanam ac personalem, sive individualem, tum respectu styli et formae literariae, tum etiam respectu ipsarum rerum scribendarum. Quis enim sibi persuadebit, laborem „plenum vigiliarum ac sudoris", quem auctor *II Mach.* memorat, solorum verborum et non etiam rerum atque adjunctorum delectum spectasse?

Sequitur claudicare comparationes patrum, quando dicunt hagiographos fuisse „calamos" aut „amanuenses" Spiritus Sancti. Calami fuere et amanuenses, quia in condenda Scriptura nihil fecerunt nisi ex motu Dei; sed fuerunt calami intellegentes ac liberi, nec tales amanuenses, qui in concipiendis et exprimendis domini sensis vix quidquam humano modo laborant.

Diximus, hagiographos *in condenda Scriptura* nihil fecisse nisi **65.** ex motu Dei, minime enim requiritur, ut omnes labores hagiographorum, qui ad Scripturam condendam etiam remote aliquid contuleunt, ex influxu Dei processerint. Ad librum, quem hodie scribo, multum mihi prosunt studia et inquisitiones ante annos, quando de libro componendo nondum cogitabam, peractae; nihilominus studia illa non pertinent ad ipsam compositionem libri mei. Supposito itaque, quod hagiographi in verbo Dei conscribendo usi fuerint notitiis et experientiis antea comparatis, necesse non est influxum inspiratorium ad hujusmodi praeparationes plus minusve remotas

[1] *De consens. Evang.* II, **12**, 27. — [2] *Hom. I in Mt.* n° 2.

extendere. Aliud est usus instrumenti, aliud praeparatio ejus. Praeparatio hagiographi ad hoc ut esset aptum instrumentum Spiritus Sancti, sive naturalis fuerit sive supernaturalis, ad ipsam inspirationem non pertinet.

66. 3⁰ Si quaeritur, *quaenam pars effectus*, i. e. *operis absoluti*, tribuenda sit causae principali, quaenam causae instrumentali, respondet s. THOMAS: „Idem effectus totus attribuitur instrumento, et principali agenti etiam totus" [1]; utique sub diversis rationibus.

Hinc inspirationem minus recte intellegere videntur, qui distinguendo *partem formalem* (res et sententias) et *partem materialem* (formam literariam, sententiarum ordinem, stylum, verborum delectum) libri inspirati, illam quidem soli fere Spiritui Sancto, hanc vero soli fere hagiographo (sub assistentia negativa Dei) tribuunt aut tribuere videntur. Dicendum putamus: liber inspiratus secundum utramque suam partem totus a Deo est, et totus ab hagiographo: siquidem nihil est in eo a Spiritu s. nisi per hagiographum, nihil ab hagiographo nisi ex motu Spiritus Sancti. — Quum autem in confesso sit, effectum simpliciter et sine addito tribuendum esse causae principali, instrumento vero nonnisi secundum quid, statim vides, quare solus Deus nuncupetur auctor Scripturae simpliciter.

67. Porro ex dictis non sequitur, *obscuritates, imperfectiones styli, barbarismos*, cet., quae in Scriptura inveniuntur, Spiritui Sancto esse tribuendas. Haec omnia non sunt nisi defectus perfectae claritatis in concipiendis, perfecti ordinis atque elegantiae in disponendis et exprimendis rebus. Quum igitur non sint effectus, sed defectus, nonnisi virtuti defectibili et deficienti tribui possunt, et ita *in solum hagiographum tamquam in causam reducuntur*. Quod autem influxus divinus hujusmodi defectus, quibus finis Scripturae np. eruditio fidelium minime frustratur, non necessario excludat, ita explicatur.

Nisi in optimismum impingere velis, concedere debes, tum Deum in instrumentum scriptionis eligere potuisse virum mediocris ingenii, inferiorisque culturae literariae, tum eum hanc indispositionem intellectualem, fini Scripturae non contrariam, relinquere potuisse,

[1] *De malo*. 3, 2, c.

quin ei mederetur. Imo Deum, qui infirma mundi eligere solet, ut fortia quaeque confundat, nec hoc nec illud dedecet. Supposito autem quod Deus hagiographos imperfecte excultos assumpserit, iisque reliquerit actionem vere humanam et individualem, imperfectiones praedictae naturaliter sequebantur, quemadmodum, si musicus perfectissimus utatur instrumento stridenti, naturaliter sequitur musica minus sonora.

Ceterum etsi imperfectiones de quibus agimus non reducuntur in Deum sicut in causam, minus recte diceretur, eas praeter voluntatem Dei irrepsisse. Siquidem libere assumendo instrumentum minus perfectum, et non auferendo imperfectas ejus dispositiones, Deus per accidens voluit istos defectus, directe volendo et causando bonum, cui conjunguntur.

68. Cave tamen ne obscuritati, aliisque imperfectionibus, de quibus locuti sumus, aequipares veri nominis errores. Alia enim atque alia est ratio. Quaecumque in scriptura docentur seu vere affirmantur, affirmantur a Deo. Atqui, excluso optimismo, non repugnat, Deum per homines loquentem proponere doctrinam minus claram, minus completam, minus uberem, minus eleganter propositam, cet. verum simpliciter et absolute repugnat, eum proponere doctrinam falsam. Falleret enim, imo mentiretur, siquidem in Deo assertio falsi necessario est locutio contra mentem.

69. II. Post praedicta non ita difficulter intellegitur descriptio inspirationis, quam in Enc. *Providentissimus* tradidit LEO XIII: Inspiratio est *actio supernaturalis Dei in hagiographos, qua „ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse juberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent"* [1].

„Actio Dei in hagiographos" ; qui terminus aequivalenter habetur apud Leonem XIII, dicentem: „Supernaturali virtute ita eos ad scribendum excitavit", cet. Haec actio, sive influxus positivus, si spectatur *principative*, i. e. ex parte ipsius Dei agentis, non differt

[1] L. c., p. 221. —

realiter a divina essentia, tribus personis aequaliter convenit, sed Spiritui s. appropriari solet. Porro in sequentibus sumitur *entitative*, np. secundum quod in hagiographo recipitur, eumque afficit, Sic autem est „vis quaedam aut impressio a Deo" [1], habens esse incompletum et transiens in hagiographo; gratia gratis data, charisma, pertinens ad speciem prophetiae.

„*Supernaturalis*", i. e. superans exigentias naturae. Hinc etsi comparari potest cum illo influxu, quem Deus ut causa prima exercet in omnes actiones causarum secundarum, ab eo apprime distinguendus est; nam per influxum inspiratorium Deus est *causa* effectus sive libri conscripti non universalis, sed *particularis* (non quidem unica seu totalis, sed partialis np. *principalis*).

70. „*Ita ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit*". Denotatur itaque influxus tum *praeveniens* tum *concomitans* actionem hagiographi qua talis, i. e. externam consignationem verbi divini, et uterque sub nomine inspirationis comprehenditur.

„*Ut ea omnia, eaque sola quae ipse juberet*", cet. Edicitur quid motio Dei praevia simul et concomitans in hagiographis causaverit. Effecit siquidem, ut ea omnia ac sola quae Deus juberet recte *mente conciperent*, fideliter conscribere *vellent*, apte infallibili veritate *exprimerent*.

Misso labore praeparatorio, qui admodum varius esse potest, ad ipsam compositionem cujuslibet libri intrinsece pertinent haec tria, ut auctor res scribendas intellectu concipiat, ut voluntatem habeat eas scribendi, ut eas sive manu sua, sive ope amanuensis actu literis consignet. Igitur praesuppositis iis, quae de actione propria hagiographorum jam exposuimus, ad hoc ut Deus sit verus auctor principalis libri, omnino requiritur, ut auctor instrumentalis haec tria ex influxu divino perfecerit. Unde merito descriptioni suae adjicit LEO XIII: „Secus non ipse esset autor s. Scripturae universae".

---

[1]) S. THOM. *In I Cor* **14**, 32, Lect. 6. — Alio modo inspiratio enuntiatur *terminative* de ipsa Scriptura, ad significandum quod, ex influxu praedicto condita, Deum habet auctorem.

„*Ut . . recte mente conciperent*". En influxum Dei in facultatem 71.
cognoscitivam, qui vocari solet *illustratio intellectus*.

Ut intellectus humanus actu rem scribendam concipiat, duo requiruntur, 1^0 ut ejus notitiam vel antea acquisierit vel nunc acquirat: *acceptio rerum*; 2^0 ut intellectus judicium efformet: haec res literis consignanda est: *judicium de acceptis*. Porro ut Deus sit auctor principalis Scripturae, non requiritur ut hagiographus notitiam rerum consignandarum supernaturali modo acceperit; potuit ea naturaliter discere aut propria conscientia, aut sensuum perceptione, aut aliorum testimonio; dummodo Deus intellectum ejus elevaverit ad efformandum judicium: hae res scripto consignandae sunt; a. v. non requiritur supernaturalis acceptio rerum, sed sufficit supernaturale judicium de rebus quomodocumque acceptis. Igitur ex parte mentis ad inspirationem, secundum se consideratam, requiritur et sufficit, ut *intellectus* hagiographi, post multas forte et varias inquisitiones mere naturales, tandem *ex elevatione et adjutorio divini luminis judicaverit, haec et haec esse scripto proferenda* [1]. Siquidem per hujusmodi elevationem *transeuntem*, non habitualem, efficiebatur ut solus Deus esset causa principalis horum judiciorum, intellectus vero hagiographi causa instrumentalis tantum.

Censemus autem, hagiographos ita ex divino lumine judicasse non tantum de rebus conscribendis per se sumptis, sed insuper de earum dispositione seu ordinatione, de specie literaria, qua uterentur, de stylo, verbisque adhibendis. Quo posito necessarium videtur, lumen divinum, etsi intellectum praecipue affecerit, etiam in alias facultates cognoscitivas, phantasiam et memoriam nonnihil influxisse, saltem indirecte, np. mediante intellectu.

Per se patet, judicium practicum: „haec res est scribenda et hoc modo, his terminis exprimenda", includere aut, si mavis, supponere judicium theoreticum, tum de veritate rei enuntiandae, tum de aptitudine terminorum adhibendorum. Etenim impossibile est, ut intellectus per Deum judicet, hanc rem scripto affirmandam et

---

[1] Reapse evangelium scribere placuit s. Lucae, „assecuto omnia a principio diligenter" (*Luc.* I, 3). Hinc s. HIERONIMUS: „Igitur Evangelium, sicut audierat, scripsit; Acta vero apostolorum, sicut viderat ipse, composuit (*De vir. illust.* 7.)

hac forma enuntiandam esse, quin eam *recte*, i.e. secundum veritatem et *apte*, i.e. secundum convenientem formulationem concipiat.

Diximus, inspirationem, *secundum se consideratam*, non importare supernaturalem acceptionem rerum; nam aliquando, scil. ubi scribendae erant res hagiographo naturaliter imperviae, supernaturalis acceptio rerum cognoscendarum inspirationem comitabatur. — Similiter fieri potuit, ut adjutorium divini luminis etiam praevias hagiographi investigationes de rebus naturaliter cognoscibilibus aliquando direxerit. Verumtamen nec hoc nec illud ad naturam inspirationis pertinet; reapse enim hujusmodi auxilia ipsam inspirationem praecedebant, aut tempore simul et natura, aut saltem natura.

72. Ex dictis colliges, quomodo cognitio supernaturalis, quae est de ratione inspirationis, distinguatur a revelatione. *Revelatio* (proprie dicta) homini pandit veritatem aut omnino incognitam aut non satis cognitam, et hac de causa necessario importat tum supernaturalem acceptionem rerum, tum supernaturale judicium. *Inspiratio* qua talis non causat acceptionem novarum rerum, non auget extensive cognitionem theoreticam hagiographi, sed formaliter causat judicium practicum, quod haec res jam cognita (sive naturaliter, sive per revelationem inspirationi saltem logice praeviam) sit scribenda. Utrum autem de hoc judicio practico dicendum sit, quod implicite continet supernaturale judicium theoreticum de veritate rei, an potius quod judicium theoreticum ab hagiographo jam formatum divinitus confirmat, non ita liquet. Nihilominus influxus inspiratorius quatenus intellectum afficit, in sensu latiori revelatio vocari potest, quatenus np. per revelationem intellegitur omnis cognitio divinitus causata; talis enim absque dubio est judicium practicum ut supra.

73. „*Ut . . fideliter conscribere vellent.*" En *motionem voluntatis*. Intellegendus est influxus *efficax*, sed non necessitans, quo Deus, qui omnia fortiter simul et suaviter operatur, *facit, ut hagiographus velit* scribere quaecumque ex divino lumine scribenda concepit et eo modo, quo ea scribenda concepit.

Adhuc intellegendus est influxus *physicus* in ipsam immediate facultatem volendi; nam si Deus nonnisi moraliter, i. e. per propositionem objecti allicientis, voluntatem movisset, non Deus sed hagiographus fuisset vera causa principalis volitionis.

Voluntas scribendi partim praecedit, partim consequitur conceptionem rerum scribendarum. Primo enim habemus propositum, ut ita dicam, generale hunc librum condendi, ex hoc proposito res consignandas mente concipimus et ordinamus, dehinc singula prout concepta sunt scribere decernimus. Porro in hagiographis non solum posterior actus voluntatis, qui reapse non unus sed multiplex est, sed etiam decretum praevium, ultimum scil. ac definitivum, ex quo cunctae conceptiones et volitiones ut supra procedunt, divino impulsui tribuendum est. Nec obstat, quod nonnulli hagiographi hortatu aut precibus humanis ad scribendum se accinxisse leguntur; nam influxus moralis hominum in voluntatem hagiographi nullatenus excludit influxum physicum Dei. Imo quum Deus instrumentis suis reliquerit actionem vere humanam ac individualem, naturae inspirationis omnino congruit, ut quilibet hagiographus seipsum ex motu divino ad scribendum determinaverit secundum proprias suas conditiones internas et externas, alius quidem propria deliberatione, alius rogatu aut consilio proximorum.

74. „*Ut... apte infallibili veritate exprimerent*". En *influentiam in externam exsecutionem* operis, in ipsam consignationem rerum conceptarum in libro per scriptionem (aut dictationem cum scriptione,) quae proxime pertinet ad facultates exsecutrices: manum, oculum, os. Porro ut ipsa externa consignatio a Deo tamquam causa principali procedat, necessarium non est ponere impressionem directam Dei in facultates exsecutivas; nam eo ipso quod potentiae illae agunt ex imperio voluntatis elevatae et sub directione intellectus elevati, reapse agunt ex motu divino et sub directione divina. Unde superfluum videtur fingere peculiarem „assistentiam" divinam pro exsecutione, ab illustratione intellectus et motu voluntatis, scriptionem non tantum praecedentibus sed etiam comitantibus, realiter distinctam. Quodsi quis influxum divinum, quatenus externam expressionem praecedit, inspirationem, quatenus expressionem

comitatur, assistentiam vocare, et ita in *inspiratione biblica* distinguere voluerit *inspirationem presse dictam* et *assistentiam* (intellegendo assistentiam positivam, verum influxum), quaestio est de mero nomine.

75. *Corollarium.* Quaeri solet, num hagiographi propriam inspirationem *cognoverint?* Certum est, naturam influxus inspiratorii hujusmodi notitiam per se non involvere; quum enim ipsa divina impressio secundum se sensum et intellectum superet, et hagiographi sub motu Dei actionem vere humanam habuerint, inspirationem suam nonnisi revelatione discere potuerunt. Num de facto eam semper cognoverint, non ita liquet. Si verum est, quod supra insinuavimus, primitivam ecclesiam scivisse, omnia scripta ab apostolis ex officio edita, ex inspiratione procedere, a fortiori ponendum est ipsos apostolos inspirationis suae conscios fuisse. Ceterum theologi, modernis nonnihil exceptis, probabilius praesumere solent, cunctos hagiographos divinum influxum cognovisse, quia id instrumento intellegenti magis convenire videtur. Alii ex *II Mach.* **2**, 20—33; **15**, 38—40, et *Luc*, **1**, 1—3 inferunt, hos saltem auctores inspirationis suae ignaros fuisse. Verum neutrum certum est.

76. III. Ex praedictis jam constat, quid censeamus de *inspiratione verborum.*

In omni libro distinguere licet partem formalem: *res et sententias*, et partem materialem: *verba et verborum constructiones.* Jam quicumque inspirationem totius Scripturae profitentur, ponunt et ponere debent, inspirationem saltem complectere totam partem formalem Scripturae, a. v. omnes sententias seu judicia ibi contenta ex inspiratione procedere [1]: *inspiratio realis.* Verum de parte materiali seu ut dici solet, de *inspiratione verbali* disputatur.

77. *Inspiratio realis* (tantum). Saeculo elapso multum invaluit opinio, speciem literariam, stylum, verborum delectum non Deo, sed

[1] *Omnia judicia*, intellege non quaslibet enuntiationes, formam logicam judicii habentes, sed eas, sive propositiones sive propositionum series, quibus *verum judicium ab hagiographo profertur.* Qui v. g. parabolam scribit, quantum ad formam logicam plurima judicia consignabit, sed contingere potest, ut tota hac propositionum serie nonnisi unum aut duo judicia proferat.

hagiographo tamquam causae principali esse tribuenda, ita tamen ut Deus assistentia negativa ineptas expressiones praecavisset, imo interdum, quoties np. ad aptam expressionem sententiae inspiratae requirebatur, ipsa verba suppeditasset [1].

Omnino concedendum est, hanc opinionem salvo dogmate sustineri posse, nam inspiratio realis una cum assistentia praedicta sufficit ad hoc, ut Deus vere dicatur „auctor" totius Scripturae. Hinc defensores ejus inferunt, inspirationem verbalem gratis asseri. Praeterea sententiam suam suadent tum textibus, quibus significatur ipsos hagiographos aliquid humano modo laborasse [2], tum eo, quod per illam explicantur diversitates styli et imperfectiones literariae, de quibus supra [3].

Inspiratio (etiam) *verbalis* duplici modo accipi potest; *aut* ita ut **78.** Deus singula verba dictaverit eo fere modo, quo magister discipulis lectionem dictat, solam scriptionem mechanicam hagiographo relinquendo; *aut* ita ut idem influxus Dei in intellectum ac voluntatem, qui effecit, ut hagiographus haec judicia scribenda conciperet et exprimere vellet, simul effecerit, ut ea sub hac forma literaria conciperet et consignare vellet, veram hagiographis relinquendo actionem propriam tum quoad ipsas sententias scribendas, tum a fortiori quoad formam literariam, ipsaque verba adhibenda.

Porro inspiratio verbalis *priori modo* accepta, quam olim multi protestantes et nonnulli catholici propugnarunt, certo rejicienda est et universaliter rejicitur. Verum *altero modo* intellecta probabilius videtur admittenda et nostro tempore in dies frequentiores defensores acquirit; unde eam in superiori explicatione continuo supposuimus.

Sane haec sententia a. plenius respondet definitioni vaticanae, **79.** libros nostros propterea sacros esse, „quod *Spiritu s. inspirante conscripti* Deum habent auctorem", et effato LEONIS XIII: „Spiritum S.

---

[1] Facile vides in hac sententia, distinctionem *inspirationis* et *assistentiae* negativae non esse quaestionem de mero nomine; nam per eam pars libri materialis positivo influxui divino, i. e. verae inspirationi subtrahitur. — [2] Imprimis *II Mach.* **2**, 24—27; **15**, 39. — [3] Cfr. supra n° **64** et **67**.

assumpsisse homines tamquam *instrumenta ad scribendum*" [1]. **b.** Melius respondet intellectui traditionali; etsi enim s. patres quaestionem hanc ex professo non tractaverunt, plurima eorum effata ejusmodi sunt ut in theoria solius inspirationis realis vix sustineantur. **c.** Rationabilior est; siquidem Deus, nisi leges psychologicas suspenderit, cuncta judicia exprimenda inspirare non potuit, quin eo ipso in verborum delectum influeret. Denique **d.** satis explicat omnia facta scripturistica, ad quae adversarii provocare solent: magnam diversitatem in stylo, defectus literarios, diversam rationem qua idem factum narratur, idem sermo refertur, laborem humanum hagiographorum. — *Objectiones* praecipuae sunt: 1° Patres saepe dicunt: non verba Scripturae consideranda esse, sed sensum. Recte omnino; nam etiam in nostra sententia verba sunt propter sensum, unde etiam inspiratio ea complectebatur non propter ipsa, sed propter sensum exprimendum. 2° Si etiam verba inspirata sunt, utique textus originalis tantum, versiones non sunt simpliciter „verbum Dei" et „Scriptura". Respondeo: verba translata ab originalibus differunt materialiter, non formaliter seu secundum significationem; unde versio manet verbum Dei et Scriptura simpliciter, licet non eodum sensu absoluto ac textus originalis. Nonne effatum Chrysostomi, latine redditum, ab omnibus simpliciter et sine addito vocatur verbum Chrysostomi? [2]

80. IV. *Consectarium primum* inspirationis rite intellectae est, quod *omnia, quae in genuinis Scripturae locis continentur, sunt verbum Dei*, Consequentia est manifesta; Deus est auctor universae Scripturae, et quidquid in quolibet libro invenitur scriptum, ab auctore libri procedit, — Ceterum consectarium hoc, quod scil. ea quae in Scripturis continentur, sunt verbum Dei, in fontibus revelationis saltem aeque explicite continetur ac genuina notio inspirationis, per quam Deus sit auctor principalis Scripturae. Atqui hinc habetur responsum promptum et efficax contra nonnullos, qui apparatu

---

[1] Enc. *Providentissimus*, l. c., p. 221. — [2] Cfr. de hac quaestione CHAUVIN, *L'Inspiration*, p. 167 pro inspiratione verbali; *Der Katholik*, 1900, I, p. 115 et PESCH, *De Inspir.* p. 459 contra inspirationem verbalem.

historico formulam „Deus est *auctor* Scripturae" ita extenuare conantur, ut eam pervertant.

Verum quemadmodum auctor humanus in libro suo dicta aliorum referre, epistolas inserere, historias ex fontibus transscribere potest, quin eas approbet aut confirmet, ita et Deus per hagiographum facere potuit. Quemadmodum auctor profanus literis consignare potest, quid de tali re olim senserit vel nunc sentiat, quin affirmet sententiam suam veritati consonare, ita Deus efficere potuit, ut hagiographus describeret quae ipse (non ut instrumentum Dei, sed) ut hic homo sentiret, opinaretur, timeret, cet. Hinc omnes theologi in Scriptura distinguunt locos, qui sunt verbum Dei ab extrinseco seu *ratione consignationis tantum* [1], et locos, qui sunt verbum Dei ab intrinseco, *in seipsis* seu ratione materiae: ii scil. qui sensa Dei exprimunt. Manifestum autem est, sententiis, quae ratione consignationis tantum sunt verbum Dei, non competere auctoritatem divinam, nisi in quantum approbantur a Deo.

81. Porro determinare, quaenam in Scriptura sint verbum Dei in seipsis, quaenam saltem ex approbatione Scripturae auctoritatem divinam habeant, in casibus particularibus satis difficile esse potest; nobis sufficiunt haec generalia [2].

a. Sunt verbum Dei ab intrinseco *omnia, quae hagiographus qua talis* (i. e. ut instrumentum Dei seu, quod in idem recidit, formaliter ut conscriptor hujus libri) *vere affirmat* ac docet. [3] Verum

---

[1] Exempla sunt verba impiorum *Sap.* **2**, 6 seq.; rescriptum Romanorum *I Mach.* **8**, 23 seq.; epistolae Judaeorum *II Mach.* **1**, 1—2, 19; expressio poenitentiae in psalmista *Ps.* **50**, seq., praesensio seu conjectura S. Pauli, *Act.* **20**, 25; humilis sententia ejusdem Pauli *I Tim.* **1**, 15: „Peccatores, quorum primus ego sum". — [2] Cfr. v. g. F. SCHMID, *De Inspir.*, p. 117; PESCH, *De Inspir.* n° 436. — [3] Hinc penitus excluditur opinio, proposita ab F. GIRERD (*Annal. de Phil. chrét.*, 1905, Mars et Juin) et W. MC. DONALD (*Irish eccles. Record*, 1905, p. 343), qui in multis saltem Scripturae locis distinguunt inter sensum hagiographi et sensum Dei, et hunc quidem infallibiliter verum habent, illum vero nonnumquam falsum esse concedunt. Exemplum Caiphae (*Jo.* **11**, 51) nihil probat. Caiphas nec propheta fuit (*S. Th.* II, II, **173**, 2 et 4), nec hagiographus: non fuit assumptus a Deo *ut instrumentum ad loquendum ecclesiae.* Deus effecit, ut Caiphas impiam sententiam suam proferret iis verbis, quae, si secundum se et extra contextum considerantur, etiam exprimunt sententiam Dei longe diversam. Sed hanc divinam oeconomiam nemo cognovisset, nisi Spiritus S. eam per evangelistam revelasset.

ubi hagiographus consignat, quae ipse ut hic homo senserit vel dixerit, aut in praesenti sentiat vel dicat, habes verbum intrinsece humanum; huc pertinent v. g. preces, imprecationes [1], dubia [2], expressiones fiduciae, amoris, doloris, consilia [3], salutationes, cet.

b. Sunt verbum Dei ab intrinseco, quae in Scripturis referuntur tamquam *dicta a Deo, a Christo, ab angelis hominibusque, legatione Dei actu* [4] *fungentibus* (prophetis et apostolis in exsecutione sui muneris), aut *ex vera inspiratione Dei loquentibus.*

c. Divinam auctoritatem faciunt, quae referuntur in Scripturis tamquam dicta ab homine, sed *divinitus approbantur;* approbatio autem *hagiographi qua talis* est approbatio divina [5]. Verum approbatio generica sermonum non necessario complectitur singula asserta, quae ad intentum principale non ita faciunt.

Num sensa, affectus, verba ipsius hagiographi *ut hominis* (de quibus sub **a**), eo ipso quod ex divino impulsu scribuntur, etiam divinitus approbentur, ita ut de eorum honestate dubitare non liceat, dijudicandum est ex adjunctis. Certe manifestum est, affectus proprios, quos v. g. psalmistae ex inspiratione conscripserunt, exinde approbari (nisi in casu particulari contrarium pateat), quum Deos eos nonnisi in exempla et ad similes affectus in aliis excitandos consignare fecerit.

Ceterum observetur, Deum, etsi inhonesta approbare nequit, inspirare aut approbare potuisse imperfecta, imprimis sub V.T., quando cognitio religiosa et moralis multum distabat a perfectione legis christianae.

d. Ubi approbatio praedicta desideratur, divinam auctoritatem non habent, quae in Scripturis dicuntur ab hominibus, etiam piis et sanctis, sed non inspiratis. Nec affirmatio quod aliquis fuerit plenus Spiritu Sancto, per se sufficit ad hoc ut singula verba ejus habeantur inspirata [6].

---

[1] De imprecationibus in quibusdam Psalmis (v. g. *Ps.* **108**), cfr. *S. Th.* II, II, **25**, 6 ad 3, et **83**, 8 ad **1**. Praeterea ratio habenda est speciei literariae: praeposterum enim esset animosos accentus carminis lyrici interpretari secundum normas vulgaris orationis. Etiam inspiratis „poetis quidlibet audendi semper fuit aequa potestas." — [2] Cfr. v. g. *I Cor.* **1**, 16. — [3] Cfr. v. g. *I Cor.* **7**, 12; *I Tim.* **5**, 23. — [4] Observa vocem „*actu* fungentibus", quod v. g. non verificatur in propheta Nathan, *II Reg.* **7**, 3. — [5] Exemplum est *II Mach.* **12**, 46. — [6] Cfr. v. g. *Act* **7**, 16, 55.

V. *Consectarium alterum* inspirationis rite intellectae est, quod **82.** *omnia, quae in genuinis Scripturae locis continentur, sunt infallibiliter vera.* — Per se patet assertionem restringi ad ea, quae aut ab intrinseco sunt verbum Dei, aut divinitus approbantur et quatenus approbantur. Hoc autem supposito res ita constat, ut sine errore in fide negari nequeat. Loco multorum sint verba LEONIS XIII, sensum catholicum authentice exponentis: „Nefas omnino fuerit; aut inspirationem ad aliquas tantum s. Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Etenim libri omnes atque integri, quos ecclesia tamquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus Spiritu S. dictante conscripti sunt; tantum vero abest ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse . . . Nihil admodum refert, Spiritum S. assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidquam falsi elabi potuerit . . . Consequitur [ex genuina notione inspirationis, quam Patres semper ratam habuere], ut qui in locis authenticis librorum sacrorum quidquam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem. Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit, divinas literas quales ab hagiographis editae sunt, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quae contrarium aliquid vel dissimile viderentur afferre (eademque fere sunt, quae nomine novae scientiae nunc objiciunt), non subtiliter minus quam religiose componere inter se et conciliare studuerint; professi unanimes, libros eos et integros et per partes a divino aeque esse afflatu, Deumque ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse. Ea valeant universe quae s. Augustinus [1] ad Hieronymum scripsit: „Ego enim fateor caritati tuae, solis iis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre,

[1] *Ep.* 82 *ad Hier.*, n° 3, cfr. n° 5.

ut nullum eorum auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in iis offendero literis quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam'''' [1].

83. Verum ut doctrina catholica de inerrantia Scripturae rite intellegatur, simulque monstretur via ad difficultates solvendas, haec praenotanda ducimus.

Error in sensu stricto, *error formalis*, in solo judicio prolato inveniri potest, et habetur quoties auctor libri aliquid de subjecto affirmat quod ei non convenit, aut negat quod ei convenit. *Nullus autem auctor* verum judicium profert, *rem vere affirmat, nisi quando et quatenus eam affirmare intendit.* Per se patet, intellegendam esse intentionem, non mere internam, sed eam, quam verba in concreto, i. e. consideratis contextu, *cunctisque scriptionis adjunctis*, manifestant [2].

Jam Deus est auctor Scripturae per auctorem humanum, qui ea omnia eaque sola, quae Deus jubebat, recte mente concepit, fideliter conscribere voluit, apte infallibili veritate expressit; hinc quamdiu agitur de hagiographo qua tali, solusque sensus literalis quaeritur [3], fidenter dicere possumus: *Deus per Scripturam* affirmare seu *docere voluit ea omnia eaque sola, quae auctor secundarius ibi affirmare vere intendebat*, nihil minus, nihil plus [4].

[1] Enc. *Providentissimus* (*Leonis XIII allocut.* cet. Ed. Desclée, V, p. 221—222.). Pleniorem probationem hujus consectarii, habes v. g. apud DE SAN, *Tract. de s. Trad. et Script.* p. 280. — [2] Sequitur, ignorantiam horum adjunctorum, qua facile laborabunt lectores posteri, aliquando efficere posse, ut judicium certum de intentione auctoris proferri nequeat. — [3] Dico: **a.** „quamdiu agitur de hagiographo *qua tali*", ubi enim hagiographus simul prophetam agit, fieri potest, ut sensum literalem prophetiae suae nonnisi inadaequate, imo valde inadaequate, cognoverit: „Mens prophetae est instrumentum deficiens respectu principalis agentis: etiam veri prophetae non omnia cognoscunt, quae in eorum visis aut verbis vel etiam factis Spiritus S. intendit" (*S. Thom.* II, II, **173**, 4). Similiter non dico, hagiographos semper plene assecutos esse sensum verborum Dei, Christi, angeli, quae *referebant.* — **b.** „Quamdiu solus sensus *literalis* quaeritur"; fieri enim potest, ut Deus praeter sensum literalem intenderit sensum mediatum seu mysticum (de quo suo loco), hagiographo omnino incognitum. — Praeterea **c.** facile admitto, hagiographos non semper *distincte* cognovisse singula elementa veritatis complexae, quam enuntiabant; sufficit ut cognoverint totam veritatem in confuso. — [4] S. AUGUSTINUS: „S. Scripturam legentes

Porro *ad dijudicandum, quid auctor secundarius reapse docere intenderit,* imprimis *opus est inquirere, quanam specie literaria usus sit.* Perspicuum enim est, propositiones, quae in tractatu scientifico aut libro stricte historico falsae essent, veri erroris inculpari non posse si auctor vulgarem loquendi modum adhibere, poeticam descriptionem tradere, parabolam, midrasch, apocalypsim proponere, historiam idealizatam scribere, traditionem popularem inserere, fontem in accessoriis forte non ita fidum exscribere voluit, cet.

Salvo judicio ecclesiae in omnibus, quae ad fidem moresque **84.** pertinent, determinatio speciei literariae spectat ad artem criticam, cujus leges tradere nostrum non est. Sedulo tamen *evitanda sunt duo extrema*: alterum ne liber aut pars libri, speciem externam historiae exhibens, *propter quaslibet textus difficultates* statim pronuntietur non historicus aut latiori tantum sensu historicus; alterum *ne species literaria, per se honesta, sed a moribus hodiernis aliena* aut nostro judicio minus digna, exinde *veluti a priori as. Scriptura excludatur.* Deus assumendo homines ut instrumenta ad scribendum, eos assumpsit quales erant, et influxum suum eorum mentalitati atque consuetudinibus accommodavit; proinde assumendo virum orientalem v. g. quinti aut secundi saeculi ante Christum, eum scribere fecit eo modo ac ratione, quibus viri orientales illius temporis scribere solebant; nec refert quid de tali scribendi ratione nos hodie judicemus.

Finis Dei inspirantis non erat quam maximam quarumlibet veri- **85.** tatum summam hominibus communicare, sed docere religionem: quae secundum se religiosa non sunt nonnisi propter veritatem religiosam suavius tradendam inspirata exsistunt. Hinc *minime necessarium fuit, hagiographos divinitus edoceri de rebus profanis,* physicis, historicis, literariis, quas aliqua ratione tangebant; potuerunt de iis aeque imperfecte imo false sentire ac ceteri ejusdem aetatis homines, dummodo a formali judicio erroneo de iis in Scriptura proferendo praeservarentur.

---

nihil aliud appetunt, quam cogitationes voluntatemque eorum, a quibus conscripta est, invenire et per illas voluntatem Dei, secundum quam tales homines locutos esse credimus" (*De doctr. christ.* II, 5, 6.)

86. His praestitutis dicimus.

1° Salva inerrantia Scripturae hagiographi *omnis generis metaphoris*, genio orientali imprimis familiaribus, uti potuerunt, nec quidquam prohibebat, quominus aliquando *entia mythologica* in imagines adhiberent [1]. Numquid mythis credere probatur, qui de homine ebrio dicit, eum Baccho nimium sacrificasse? Similiter uti potuerunt hyperbolis etiam grandiloquis [2]. Numquid mentitur aut fallit, qui de secreto inopportune per aliquot vicos evulgato dicit: jam totus mundus rem audivit!

2° Salva inerrantia Scripturae hagiographi in describendis phaenomenis naturae sequi potuerunt *externam apparentiam* et communem loquendi modum, in ea fundatum [3]. Ita v. g. dixerunt, solem oriri, moveri circa terram [4], terram in aeternum stare [5]; de luna loquuntur ac si esset luminare majus prae omnibus stellis [6]; firmamentum describunt modo ut tentorium super terram expansum [7], modo ut solidum quoddam tectum, super quod congregantur aquae, tempore imbrium quando „Deus aperit cataractas coeli," descensurae [8]. Nec quidquam refert, utrum hagiographi sciverint, has locutiones improprias aut poeticas esse, necne; quidquid enim apud se de vera illarum rerum natura aut habitudine senserint, certe nihil de iis docere intendebant, sed utebantur locutionibus et descriptionibus sive vulgaribus sive poeticis, ad alia quaedam, quae vera sunt, asserenda.

---

[1] Cfr. v. g. *Job*, **3**, 8; *Is.* **13**, 21; *Jer.* **50**, 39; *Judith*, **16**, 8. — [2] Cfr. v. g. *Act.* **2**, 5. — [3] Cfr. Enc. *Providentissimus*, l. c., p. 219. — [4] Cfr. v. g. *Jos.* **10**, 12—13; *Eccles*, 1, 5—6; *Ps.* **18**, 6—7. — [5] *Eccles*, **1**, 4; *Ps.* **92**, 2; **103**, 5. — [6] *Gen.* 1, 16. — [7] *Ps.* **103**, 2; *Is.* **40**, 22. [8] *Gen.* **1**, 6; **7**, 11; **8**, 2; *Ps.* **148**, **4**; *Job*, **37**, 18. — Eodem fere modo non praecise hagiographus, sed legislator divinitus constitutus, externam apparentiam sequens, esum leporis vetuit, quia „et ipse ruminat sed ungulam non dividit" (*Lev.* **11**, 6; *Deut.* **14**, 7); siquidem lepus habet actionem ruminationi simillimam, divisio autem animalium mundorum et immundorum desumebatur ex criterio obvio et apparenti. KAULEN: „Die relative Wahrheit liegt darin, das der Begriff „Wiederkäuer" nicht in dem physiologischen Sinn gefasst ist, sondern das an Thiere gedacht wird, die ohne zu fressen, doch mit dem Maule arbeiten" (*Katholik*, 1868, I, p 19). Unde merito MAISONNEUVE: „Il n'y a pas plus d'erreur dans cette manière de s'exprimer, que dans le langage de nos évêques, qui dans leurs mandements de Carême rangent les huîtres parmi les poissons" (DUIHLÉ DE SAINT-PROJET, *Apol. Scientif.* Ed. 1903, p. 464).

3° Eodem fere modo hagiographi, tangendo res profanas, *adhibere* **87.** *potuerunt locutiones, ex opinionibus erroneis suorum temporum profectas.* Etsi enim ex iis locutionibus apparet, etiam hagiographos communibus suae aetatis erroribus imbutos fuisse, immerito putares eosdem errores ab iis in Scriptura affirmari; dummodo enim intentioni s. scriptoris, ut par est, attenderis, invenies ope locutionis errorem sapientis, reapse verum aliquid affirmari. — Ex modo loquendi *Gen.* 1, 3—18, vix non certum videtur, auctorem hexaëmeri lucem diurnam et diei noctisque vicissitudinem considerasse ut phaenomena a sole non pendentia, nihilominus nihil aliud in Scriptura affirmasse videtur nisi hoc: cunctas res, lucem, ordinem diei ac noctis, solem, cet. a Deo esse facta. Eadem ratione plures moderni explicant *Ep. Judae* 14—15. Difficulter negatur, apostolum ibi adhibere librum apocryphum Henoch [1]; hinc merito inferri videtur, eum non secus ac coaevos suos, hunc librum magni aestimasse, imo forte habuisse genuinum; nihilominus stricte loquendo S. Judas nihil aliud in Scriptura affirmat praeter hoc unum: falsis doctoribus applicari comminationem divini judicii, saepius factam et in libro Henoch huic patriachae, quem omnes ut „septimum post Adam" noverant, tributam. Ceterum etiam appositio „septimus post Adam" ex libro apocrypho desumi potuit [2], Nec nimis fidenter dicas, vocem ἐπροφήτευσεν necessario indicare veram prophetiam; nonne etiam s. Paulus auctorem profanum sub nomine „prophetae" laudat [3]?

4° Salva inerrantia Scripturae hagiographus, non minus quam **88.** auctor profanus, *alienam personam agere* potuit, dummodo hanc fictionem literariam nec ad decipiendos lectores, sed ad finem honestum adhibuerit, nec ita eam adhibuerit, ut destinatarii necessario in errorem inducerentur. Et hac ratione v. g. multi moderni censent, auctores *Sapientiae* et *Ecclesiastis* ex persona quidem Salomonis loqui, sed reapse esse viros ignotos posterioris aetatis [4].

[1] Siquidem verba „Venit Dominus", cet. fere ad literam habentur in versione aethiopica *Henoch*, **1**, 9. Plerique tamen exegetae suspicantur, hodiernam lectionem libri *Henoch* potius desumptam esse ex *Ep. Judae*. Hi itaque censent, apostolum non librum apocryphum adhibuisse, sed antiquam traditionem oralem suscepisse. — [2] *Henoch*, **60**, 8. — [3] *Tit.* 1, 12. — [4] Cfr. *Rev. Bibl.* 1900, p. 375; *Theol. Quartals.* (Tübingen) 1900, p. 22. Etiam KAULEN; „Das Buch

89. 5° Certum est, hagiographos non semper approbare res contentas in documentis, quae ut documenta inserunt aut explicite citant. Auctor *II Mach.* mortem Antiochi Epiphanis ita narrat [1], ut manifestum sit epistolám judaeorum palaestinensium ab ipso insertam [2], hac in re a vero aberrare. Merito igitur statuitur regula: *hagiographus non spondet pro documentis et sermonibus simpliciter*, i. e. sine ulla reprehensione, *sed explicite laudatis, nisi quando et quatenus ea approbat*, sive formaliter sive aequivalenter.

Concedendum est, in s. Scriptura haberi etiam *citationes implicitas* seu tacitas, i. e. hagiographos aliquando excerpere ex fontibus aut exscribere fontes profanos, quin id diserte dicant; nec immerito dicitur, lectores coaevos hujusmodi mutuationes prae nobis facile discernere saepe potuisse. Admittendum putamus, hagiographos aliquando documenta auctoris profani implicite, citare potuisse, quin ejus asserta ex toto approbarent [3], verum praesumptio militat in contrarium. Hinc *Commissio pontificia de re biblica* merito declaravit, ad enodandas difficultates contra veracitatem Scripturae ad citationes implicitas et non approbatas provocandum non esse, nisi „solidis argumentis probetur, 1° hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare, et 2° eadem nec probare nec sua facere" [4]. Addere liceat: etsi ad judicium certum requiruntur argumenta apodictica, ad prudens dubium sufficere possunt indicia vere probabilia. Quidquid est, certe omnem mensuram excederet, qui in V.T. ita frequentes admitteret citationes non approbatas, ut exinde ipsum aedificium historiae sacrae nutaret.

90. 6° Non desunt auctores catholici, qui contendunt: **a.** nonnullos

---

der *Weisheit* ist eine dem König Salomon in den Mund gelegte Rede an die Machthaber auf Erde .... Es kann nicht von Salomon herrühren" (*Einleitung*, Ed. 4, § 326—327). „Wenn nicht der heutige Text als eine Umschreibung des ursprünglichen in die nachexilische Sprachform anzusehen ist [quae suppositio ex aliorum judicio ad salvandam originem Salomonicam non sufficit], so ist der *Prediger*, gleich dem Buche der *Weisheit*, dem König Salomon, *als dem geeignetsten Vertreter der betreffenden Erwägungen*, in den Mund gelegt worden" (L. c. § 318).

[1] *II Mach.* **9**; Cfr. *I Mach.* **6**. — [2] *II Mach.* **1**, 10 seq. — [3] Exemplum habes, ut videtur, *II Reg.* **24**, 9 coll. cum *I Paral.* **21**, 5; aliud exemplum, forte habes *Luc.* **3**, 36. — [4] Decr. 13 Febr. 1905; *Rev. Bibl.* 1905, p. 161' Cfr. *De Katholiek*, T. **127**, p. 517.

libros Scripturae, speciem externam historiae vel prophetiae exhibentes, reapse aut nequaquam aut nonnisi in summis suis lineamentis esse historicos, cet. (*Job, Judith, Tobias, Jonas, Esther, Daniel* [1]); **b**. primam partem *Geneseos*, saltem usque ad historiam Abrahae, continere traditiones populares, quarum substantiam tantum hagiographus ut veram approbare intendebat [2]; **c**. alicubi v.g. in libro *Judicum* tradi historiam idealizatam, i. e. facta quidem historica, sed liberius descripta et artificiose ordinata ad thesim aliquam altius insinuandam; **d**. generatim historiographiam V. T. in rebus secundariis, factorumque adjunctis strictam fidelitatem parum curasse, imo nonnumquam vix aliud intendisse quam referre res gestas, prout continebantur in annalibus aliisque fontibus, quorum omnimodam veracitatem explorare impossibile erat [3]. Denique **e**. aliqui addunt vel in ipso N. T. narrationes historicas in accidentalibus nonnihil sapere fontes aut traditiones diversas, quas singuli hagiographi adhibuerunt, neque evangelistarum intentionem fuisse minima quaeque rerum gestarum adjuncta semper sua auctoritate firmare [4].

In dijudicandis hujusmodi opinionibus, quae ab aliis magna **91.** fiducia defenduntur, ab aliis acriter impugnantur, sapienti discretione

---

[1] Siquidem ex opinione p. Lagrange et paucorum aliorum liber *Daniel* non est propheticus in sensu consueto, sed est *apocalypsis*, in qua auctor ignotus, coaevus Antiochi Epiphanis, sed personam Danielis sustinens, sub specie visionum propheticarum maxima parte facta praeterita depingit, ita tamen, ut saepius regnum Messiae in terris, ipsumque regnum eschatologicum prophetice tangat. Cfr. *Rev. Bibl.* 1904, p. 494, sed lege omnino *Der Katholik*, 1906, II. p, 201 et 362, ubi indoles prophetica libri Daniel optime defenditur. — [2] Idem fere nonnulli suspicantur de mirabilibus Samson. — [3] Hujusmodi intentionem restrictam, ex nonnullorum judicio, diserte manifestaret auctor *II Mach.* **2**, 29—31. Quod si verum esset, verba hujus abbreviatoris simul ostenderent, „historiae auctores" saltem tunc temporis alia intentione scribere consuevisse. Attamen genuinus sensus ex graeco videtur esse hic: amplam descriptionem ac discussionem singulorum factorum auctori relinquo, ipse brevitati studeo. [4] Cfr. de his omnibus LAGRANGE, *Methode historique*; V. HUMMELAUER, *Exegetisches zur Inspirationsfrage*; F. PRAT, *La Bible et l'Histoire*; H. POELS. *History and Inspiration* (*Cath. University Bulletin*, 1905); N. PETERS, *Die grundsätzliche Stellung der Kath. Kirche zur Bibelforschung*; EPISCOPUS BELLOVACENSIS, *L'Étude de la s. Écriture*; SCHANZ, *Apologie*, II[3], p. 654; contra quos scripserunt DELATTRE, *Autour de la Question biblique* et *Critérium de la nouvelle exégèse biblique*; L. FONCK, *Der Kampf um die Wahrheit der h. Schrift*; S. SCHIFFINI, *Divinitas Scripturarum*; F. EGGER, *Absolute oder relative Wahrheit der heiligen Schrift?* de quo opere judicavit H. HOLZHEY; *Fünfundsiebzig Punkte zur Beantwortung der Frage: Absolute u. s. w.*

opus est. Memoratu digna sunt, quae scripsit BAINVEL [1]: „etsi per et post decretum *Lamentabili* et encyclicam *Pascendi* multae sunt sublatae ambiguitates et revelatae multis ex cordibus cogitationes, remanet tamen quod, vel inter optimos catholicos, multa nondum sunt eliquata. Quamquam difficultas magis esse in applicationibus quam in principiis videtur, in quaestionibus criticis proprie et exegeticis, scientificis scilicet, magis quam in theologicis formaliter dictis; quam augent hinc eorum suspiciones qui, parum in quaestionibus criticis et exegeticis versati, in omni applicatione nova periclitari principia theologica queruntur, inde eorum temeritas qui, si quid a doctis et harum rerum peritis est propositum, statim in principiis, quod docti non faciunt, nutant".

Imprimis observandum est magnum esse discrimen inter opiniones catholicorum et asserta rationalistarum ac modernistarum eadem de re. Ita v.g. *Lagrange*, opinionem suam de primis capitibus Geneseos exponens, docet distingui posse elementa essentialia et accessoria, doctrinam et involucrum ejus: fundamentum doctrinae facta certa, sed proposita modo, qui non est nisi figuratus [2]. „Primum caput Genesis affirmat et docet facta realia, et sensu quidem proprio docet ea. Haec igitur prima pagina jam comprehendit seriem affirmationum de factis realibus, omnia intelligenda sunt litteraliter, non est ibi allegoria, minus etiam mythus imaginatione fictus . . . sed quod attinet opus sex dierum, ibi videmus apparere allegoriam" [3]. In narratione de peccato originali substantia narrationis perfectam conformitatem habet cum dogmate catholico, sed liberius intelleguntur quaedam particulae narrationis, vinculo necessario cum hac doctrina carentes, quae ei ut vehiculum quoddam serviunt. — „Rationalistae vero divinam vel revelationem vel inspirationem vel scripturam sacram omnino ullam negant, neque alia prorsus ea esse dictitant, nisi hominum artificia et commenta: illas nimirum, non veras gestarum rerum narrationes, sed aut ineptas fabulas aut historias mendaces; ea, non vaticina et oracula sed aut confictas post eventus praedictiones aut ex naturali vi praesensiones; ea, non veri nominis miracula virtutisque divinae

[1] *De Scriptura Sacra*. p. 145. — [2] *Revue Biblique*, 1897 p. 367 seq. — [3] Ib. 1896, p. 393 seq.

ostenta, sed admirabilia quaedam, nequaquam naturae viribus maiora, aut praestigias et mythos quosdam" [1]. Ita in opinione *Loisy* contendentis, interpretes christianos in explicatione sacrae Scripturae, imprimis Veteris Testamenti, semper aliquid addere ad sensum stricte litteralem, ita ut ad determinandum sensum ipsius auctoris sacri, non recipiendus sit commentarius traditionalis, quia in se fructum progressus posteriorum temporum habet, jam latet fundamentalis error: posse aliquid esse historice verum, quod sit dogmatice falsum, et vice versa [2].

Ut autem errores modernistarum in praesenti materia facilius evitentur, sedulo notentur sequentes propositiones in Decreto *Lamentabili* proscriptae. **91a.**

3a. „Ex judiciis et censuris ecclesiasticis contra liberam et cultiorem exegesim latis collegi potest, fidem ab Ecclesia propositam contradicere historiae, et dogmata catholica cum verioribus christianae religionis originibus componi reipsa non posse".

12a. „Exegeta, si velit utiliter studiis biblicis incumbere, imprimis quamlibet praeconceptam opinionem de supernaturali origine Scripturae Sacrae seponere debet, eamque non aliter interpretari quam cetera documenta mere humana".

14a. „In pluribus narrationibus non tam quae vera sunt Evangelistae retulerunt, quam quae lectoribus, etsi falsa, censuerunt magis proficua".

23a. „Exsistere potest et reipsa exsistit oppositio inter facta quae in Sacra Scriptura narrantur eisque innixa Ecclesiae dogmata, ita ut criticus tamquam falsa rejicere possit facta, quae ecclesia tamquam certissima credit."

24a. „Reprobandus non est exegeta qui praemissas adstruit, ex quibus sequitur dogmata historice falsa aut dubia esse, dummodo dogmata ipsa directe non neget."

61a. „Dici potest absque paradoxo, nullum Scripturae caput, a primo Genesis ad postremum Apocalypsis, continere doctrinam prorsus identicam illi, quam super eadem re tradit Ecclesia et idcirco nullum Scripturae caput habere eumdem sensum pro critico ac pro theologo".

[1] Encycl. *Providentissimus Deus.* in *Leonis XIII Alloc.* (Ed. Desclée) t. V. p. 208. — [2] cfr. PESCH, *de inspiratione sacrae scripturae* p. 363.

91b. Deinde omnes consentiunt, tum allegoriam tum parabolam in Sacra Scriptura saepius inveniri et hanc quidem nonnumquam ratione adjunctorum accuratissime descriptorum ita externam historiae speciem prae se ferre, ut vera historia esse videatur (e. g. parabola Lazari mendici). Nonne et allegoria et parabola se extendere possunt ad integri libri biblici dimensionem? Attentis igitur iis, quae de specie literaria apud veteres usitata proferuntur, ratio subesse potest dubitandi, num aliqua narratio historice, ut verba in sensu obvio innuunt, intellegenda sit, an vero hagiographus ad proprium suum scopum utatur tantum datis, quae ipse non dat. Siquidem ex natura rei nihil obstat, quominus scriptor sacer ad suum scopum utatur fabellis, quae circumferuntur, sicut utitur consuetis dicendi formulis, metaphoris, anthropomorphismis, cet. Aliud enim est hujusmodi documentis uti tamquam vehiculo doctrinae, aliud eorum veritatem asserere [1].

Denique censemus, opiniones praedictas non semper atque in omnibus efficaciter refelli provocando ad traditionem contrariam ss. patrum ac theologorum. Ut argumentum ex intellectu traditionali rem vere conficiat, probari debet exsistentia consensus saltem moraliter universalis, idque in materia fidei et morum. Atqui, supposita etiam consensione unanimi, haud facile ostenderetur, novas opiniones in omnibus suis applicationibus ad res fidei et morum pertingere. Nec sufficit dicere: ss. patres non hac ratione inerrantiam Scripturae vindicarunt; ubi enim de rebus mere profanis agitur necessitas fidei id unum exigit, ut inerrantia Scripturae vere salvetur, non ut hoc vel illo modo salvetur.

92. Ab alia parte, salva etiam necessitate fidei, novae sententiae seria difficultate premuntur ex eo, quod in contrarium militat legitima praesumptio, in specie externa sensuque obvio Scripturae atque intellectu traditionali fundata. Hinc prudenter accipi non possunt, nisi congruis argumentis probantur. Porro hac in re

[1] Cfr. BAINVEL, l. c. p. 152.; LESÊTRE, *Revue prat. d'apol.* t. X n° 117 p. 678 seq. „Certains semblent oublier parfois qu'il serait tout aussi irrévérencieux envers un écrivain inspiré d'en faire un historien malgré lui que de traiter de parabole ce qu'il aurait écrit comme histoire", ita VAN HOONACKER, *Les douze petits prophètes*, p. 324.

cavendum est a quibusdam assertionibus generalibus, parum fundatis.

Nonnulli verba LEONIS XIII in enc. *Providentissimus:* „Haec ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim, juvabit transferri" [1], ita accipiunt, ac si mens pontificis fuisset dicere: hagiographi, quemadmodum in discribendis phaenomenis naturae externam apparentiam sequuntur, ita in historicis plerumque sequuntur opiniones sui temporis, fontesque adhibitos, quin objectivam veritatem sectentur. Et hac ratione „principium scholae largae" a Leone XIII veluti praeconsecratum esse volunt. Immerito tamen; nam verba: „haec ipsa" non determinate respiciunt incisum de apparentia sensibili phaenomenorum naturalium, sed generatim monita de difficultatibus ex rerum physicarum scientia petitis; quae monita jam ad cognatas disciplinas transferenda dicuntur, utique mutatis mutandis.

Neque sustineri potest, rerum naturalium et historicarum, eam- **93.**
dem esse rationem. Qui extra tractatum scientificum, quales in Scriptura certe non habentur, de phaenomenis naturalibus loquitur, merito praesumitur adhibere communem modum loquendi, in sensibili apparentia fundatum. Nec quidquam refert, utrum sciat an ignoret, externam apparentiam objectivae realitati non respondere. At qui in libro, ad aedificationem religiosam quidem destinato, sed tamen historico, facta narrat, certe praesumitur objectivam realitatem sectari. Id unum concedendum puto: de hagiographo, qui etiam in libris vere et certo historicis primario aedificationi, veritati historicae secundario tantum intendit, facilius quam de mero historiographo admitti poterit, eum facta historica paulo liberius accommodasse, aut res quasdam accessorias transmittendo potius quam affirmando ex suis fontibus suscepisse. Dico: „facilius admitti poterit"; nam ut rem actu contigisse vel certo affirmes vel probabiliter opineres, semper requiruntur aut argumenta aut saltem indicia quaedam vere probabilia. Quod enim nonnulli asserunt, „legem historiae" aliquando fuisse referre facta secundum quod in fontibus, opinioneque vulgari habebantur, proprium judicium de objectiva veritate *tacite reservando*, nec solide probari,

[1] L. c., p. 220.

nec candidae credulitati veterum congruere videtur. Scimus equidem, s. Hieronymum nonnulla scripsisse, quae si ex mente s. doctoris eam universalitatem haberent, quam per se sumpta habere videntur, assertioni praedictae non parum suffragarentur [1]; verum integra doctrina s. Hieronymi et continua ejus diligentia objectivam veritatem Scripturae etiam in accessoriis salvandi, novae scholae non favet [2]. Ceterum in quaestione nondum eliquata incohaerentia quaedam opinionis non ita mira videri debet [3].

Merito itaque *Commissio pontificia de re biblica* edixit, in libris quae pro historicis habentur, tamdiu praesumendam esse historiam proprie dictam et objective veram, donec „solidis argumentis probetur, hagiographum voluisse non veram et proprie dictam historiam tradere, sed sub specie et forma historiae parabolam, allegoriam, vel sensum aliquem a proprio literali seu historica significatione verborum remotum proponere" [4].

94. Missis igitur assertionibus generalibus novae opiniones dijudicandae sunt in particulari, i. e. singulatim pro singulis libris, quibus applicantur, respective pro singulis librorum partibus: quod ad auctores biblicos pertinet. Salvo meliori putamus, rationes vere solidas non semper deesse [5]; verum in plerisque casibus ea tantum hucusque afferri quae mensuram indiciorum probabilium non excedunt, imo quandoque vix attingunt. Pergant igitur eruditi, qui studiis criticis rem catholicam promovere volunt, patienti labore

---

[1] E. g. *In Jerem.* **28**, 10 occasione Hananiae pseudo-prophetae *notorii*, qui a Scriptura „propheta" vocatur: „Quasi non multa in Scripturis s. dicantur juxta opinionem illius temporis quo gesta referuntur, et non juxta quod rei veritas continebat." — *Adv. Helvid.* 4: „In tantum, ut etiam evangelistae, opinionem vulgi exprimentes, quae vera historae lex est, (s. Joseph) patrem dixerint salvatoris." — Alibi s. doctor, supponendo Herodem tristitiam finxisse tantum, ad verba: „Contristatus est rex" (*Mt.* **14**, 9) annotat: „Consuetudinis Scripturarum est, ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur. Ita nunc Herodes dicitur contristatus, quia hoc discumbentes putabant. Dissimulator enim mentis suae et artifex homicidii tristitiam praeferebat in facie, cum laetitiam haberet in mente" (In h. l.). — [2] Cfr DELATTRE, l. c., chap. 2 et 3; et PESCH, *De Inspir.* n° 525 seq. — [3] Cfr. N. PETERS, *Theol. Revue*, 1910, p. 334. — [4] Resp. 23 Junii 1905, *Rev. bibl.* 1905, p. 321; *De Katholiek*, **128** p. 393. — [5] Speciminis gratia leguntur, quae cl. VETTER disseruit de libro Tobiae in *Theol. Quartals.* (Tübingen) 1904 et 1905. cfr. *Rev. du clergé Français*, 1 Nov. 1908 et 1909, p. 720; *De Katholiek*, **134**, p. 475.

effodere argumenta, quibus hypotheses suas, si fieri potest, roborent; interim tum ipsi tum theologi a judiciis nimis absolutis et generalibus abstineant.

Quum autem in hisce quaestionibus ante omnia audiendum sit magisterium ecclesiae, hic subjicimus Decretum *Commissionis pontificiae de Re Biblica* diei 30 Junii 1909 de charactere historico trium priorum capitum Geneseos.

„I. Utrum varia systemata exegetica, quae ad excludendum sensum literalem historicam trium priorum capitum libri Geneseos excogitata et scientiae fuco propugnata sunt, solido fundamento fulciantur? — *Negative.*

II. Utrum non obstantibus indole et forma historica libri Geneseos, peculiari trium priorum capitum inter se et cum sequentibus capitibus nexu, multiplici testimonio Scripturarum, tum Veteris tum Novi Testamenti, unanimi fere ss. Patrum sententia ac traditionali sensu, quem, ab israelitico etiam populo transmissum, semper tenuit ecclesia, doceri possit, praedicta tria capita Geneseos continere non rerum gestarum narrationes, quae scil. objectivae realitati et historicae veritati respondeant; sed vel fabulosa ex veterum populorum mythologiis et cosmogoniis deprompta et ab auctore sacro, expurgato quovis polytheismi errore, doctrinae monotheisticae accommodata; vel allegorias et symbola, fundamento objectivae realitatis destituta, sub historiae specie ad religiosas et philosophicas veritates inculcandas proposita; vel tandem legendas ex parte historicas et ex parte fictitias ad animorum instructionem et aedificationem libere compositas? — *Negative ad utramque partem.*

III. Utrum speciatim sensus literalis historicus vocari in dubium possit, ubi agitur de factis in iisdem capitibus enarratis, quae christianae religionis fundamenta attingunt: uti sunt inter cetera rerum universarum creatio a Deo facta in initio temporis, peculiaris creatio hominis, formatio primae mulieris ex primo homine, generis humani unitas, originalis protoparentum felicitas in statu justitiae, integritatis et immortalitatis, praeceptum a Deo homini datum ad ejus obedientiam probandam, divini praecepti diabolo sub serpentis specie suasore transgressio, protoparentum dejectio ab illo primaevo innocentiae statu necnon Reparatoris futuri promissio? — *Negative.*

IV. Utrum in interpretandis illis horum capitum locis, quos Patres et Doctores diverso modo intellexerunt, quin certi quidpiam definitive tradiderint, liceat, salvo ecclesiae judicio servataque fidei analogia, eam quam quisque prudenter probaverit, sequi tuerique sententiam? — *Affirmative.*

V. Utrum omnia et singula, verba scil. et phrases, quae in praedictis capitibus occurrunt, semper ac necessario accipienda sint sensu proprio ita ut ab eo discedere numquam liceat, etiam cum locutiones ipsae manifesto appareant improprie seu metaphorice vel anthropomorphistice usurpatae, et sensum proprium vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere? — *Negative.*

VI. Utrum praesupposito literali et historico sensu nonnullorum locorum eorumdem capitum interpretatio allegorica et prophetica, praefulgente ss. Patrum et ecclesiae ipsius exemplo adhiberi sapienter et utiliter possit? — *Affirmative.*

VII. Utrum, cum in conscribendo primo Geneseos capite non fuerit sacri auctoris mens intimam adspectabilium rerum constitutionem, ordinemque creationis completum scientifico modo docere; sed potius suae genti tradere notitiam popularem, prout communis sermo per ea ferebat tempora, sensibus et captui hominum accommodatam, sit in horum interpretatione adamussim semperque investiganda scientifici sermonis proprietas? — *Negative*

VIII. Utrum in illa sex dierum denominatione atque distinctione, de quibus in Geneseos capite primo, sumi possit vox Yôm (dies), sive sensu proprio pro die naturali, sive sensu improprio pro quodam temporis spatio, deque hujusmodi quaestione libere inter exegetas disceptare liceat? — *Affirmative*" [1].

Vim ac rationem hujus decreti accuratius explicare ad auctores biblicos pertinet; nos id unum animadvertimus: haud omnes quaestiones, quae circa tria priora Geneseos capita moventur, laudato decreto solutae sunt: plura intermediant. Porro nec omnia, quae non diserte vetantur, ideo permittuntur, nec omnia, quae non diserte permittuntur, ideo proscribuntur.

95. **Scholion.** *Inspiratio et genuinitas critica.* — Alia quaestio est, num liber sit inspiratus, alia num vere conscriptus sit aut ex toto conscriptus sit ab illo auctore secundario, sub cujus nomine laudari solet. Factum inspirationis *per se* non solvit quaestiones de persona et aetate hagiographi, sicut nec de modo compositionis humanae, np. utrum liber ex toto ab una homine an per partes a pluribus conscriptus sit, utrum forte ab alio primum exaratus, ab alio deinde auctus aut in formam suam hodiernam, cujus inspirationem fide tenemus, redactus fuerit, cet. [1].

Verum *per accidens* dogma inspirationis quaestionem de auctore secundario solvere, aut saltem in ejus solutionem influere potest.

[1] *Act. ap. Sedis*, I, p. 567; cfr. *Ned. Kath. Stemmen*, t. IX, p. 234. — [2] Igitur ex parte inspirationis nihil obstat, quominus admittatur sententia, quam defendit v. g. HAPPEL: „Die h. Bücher des A. T. haben eine innere Geschichte. Es sind mit dem heiligen Texte mancherlei Wandlungen und Veränderungen vorgegangen, ehe er endgültig festgelegt wurde. Diese Geschichte ist nicht das Ergebnis zufälliger Corruption oder unberechtigter Interpolation, sondern das Werk berufener, profetisch begabter Organe". *Bibl. Studien*, 1901, p. 27.

1° Quando auctor inspiratus vere affirmat, seipsum aut alium quemlibet hunc vel illum librum conscripsisse, ejus assertio vi inspirationis ut infallibiliter vera retinenda est. Verum sedulo perpenda verba: „*vere* (i. e. non specietenus tantum) affirmat"; nam a. non impossibile est, s. auctorem per fictionem literariam alienam personam gessisse (liber Sapientiae [1]); b. ubi agitur de citationibus fieri potest, ut hagiographus librum laudaverit sub nomine tunc temporis communiter usitato, quin de vero auctore secundario quidquam judicare intenderit. Hinc v. g. verba s. Pauli: „Isaias enim dicit" [2], et aequivalentia verba s. Joannis [3] per se sola non sufficiunt ad solvendam quaestionem de deutero-vel trito-Isaia [4]; neque ex solis verbis Domini [5] certo conficitur, nostrum Pentateuchum integrum ab ipso Mose esse conscriptum [6].

---

[1] *Sap.* **7**, 1 seq.; **9**, 8 seq. — [2] *Rom.*, **10**, 16, 20 — [3] *Jo*, **12**, 38. — [4] Dicitur ex *hoc solo* capite non solvi quaestionem de deutero-vel trito-Isaia. Die autem 27 Junii anni 1908 *Commissio Pontificia de re biblica* decretum edidit de libri Isaiae indole et auctore. „*Dubium III.* Utrum admitti possit, prophetas non modo tamquam correctores pravitatis humanae divinique verbi in profectum audientium praecones, verum etiam tamquam praenuntios eventuum futurorum, constanter alloqui debuisse auditores non quidem futuros, sed praesentes et sibi aequales, ita ut ab ipsis plane intellegi potuerint; proindeque secundam partem libri Isaiae (cap **40**–**66**) in qua vates non Judaeos Isaiae aequales, at Judaeos in exilio babylonico lugentes veluti inter ipsos vivens alloquitur et solatur, non posse ipsum Isaiam jamdiu emortuum auctorem habere, sed oportere eam ignoto cuidam vati inter exules viventi assignare? — *Negative*"

„*Dubium IV.* — Utrum, ad impugnandam identitatem auctoris libri Isaiae, argumentum philologicum, ex lingua stiloque desumptum, tale sit censendum, ut virum gravem, criticae artis et hebraicae linguae peritum, cogat in eodem libro pluralitatem auctorum agnoscere? — *Negative*".

„*Dubium V.* — Utrum solida prostent argumenta, etiam cumulative sumpta, ad evicendum Isaiae librum non ipsi soli Isaiae, sed duobus, imo pluribus auctoribus esse tribuendum? — *Negative*".

Opinio igitur de deutero-vel trito-Isaia aut relinquenda est, aut saltem ad alia, plura ac solidiora argumenta provocandum erit. — Cfr. *de Katholiek*; t. **134**, p. 476. — [5] *Mc.* **10**, 3—5; *Luc.* **24**, 44; *Jo*, **5**, 39–47. — [6] Cfr. decretum *Commissionis de Re biblica*, diei 27 Junii 1906, quo edicitur argumenta, quae afferuntur contra authentiam mosaicam Pentateuchi, non sufficere ad thesim traditionalem relinquendam. *Rev. Bibl.* 1906, p. 349; *De Katholiek*, t. **130**, p. 302. — Quae in textu de effatis N. T. diximus, eodem modo applicantur decretis conciliorum, cet. *Conc. trid.* (S. 4; cfr. etiam *conc. hippon.* et *carthag.*, *Ep. Innocentii I* apud DENZ nº 92, 96) plures libros sacros recenset sub nomine auctorum communiter admissorum; nihilominus intentio patrum non erat definiendo judicare de auctoribus secundariis, sed solum tradere „sacrorum *librorum indicem*, ne cui dubitatio suboriri possit, *quinam sint* qui ab ipsa Synodo suscipiuntur".

2⁰ Quando constat, textum aliquem V. T. in N. T. adhiberi ut veram prophetiam v. g. de venturo Messia, dogma inspirationis laederet, qui hunc textum non nisi post rei eventum conscriptum esse diceret. Item si diceret, eum non esse scriptum aetate, cui a s. Scriptura vere tribuitur [1].

3⁰ Quum inspiratio cunctorum ss. librorum cum omnibus suis textibus genuinis sit veritas revelata, epocha autem revelationis publicae seu christianae ultra aetatem apostolicam non extendatur, sequitur ipsum dogma inspirationis obstare, quominus liber aut fragmentum N. T. tribuatur auctori ad aevum apostolicum non pertinenti. Hinc in decreto *Lamentabili* merito proscriptae sunt propositiones:

13a. „Parabolas evangelicas ipsimet evangelistae ac christiani secundae et tertiae generationis artificiose digesserunt, atque ita rationem dederunt exigui fructus praedicationis Christi apud Judaeos". — 15a. „Evangelia usque ad definitum constitutumque canonem continuis additionibus et correctionibus aucta fuerunt; in ipsis proinde doctrinae Christi non remansit nisi tenue et incertum vestigium".

Attamen consulto dixi, dogma inspirationis obstare, quominus pars N. T. tribuatur auctori „ad aevum apostolicum non pertinenti", qui terminus aliquam latitudinem habet. Nam si quaeras, num *absolute* excludatur hypothesis alicujus libri aut fragmenti canonici, post omnium apostolorum obitum demum conscripti, responsum non videtur omnino evidens. Fac veram esse sententiam supra [2] relatam de origine apostolica, imo mediate apostolica (in sensu exposito) ut criterio inspirationis; numquid ex principiis fidei absolute impossibile est, ecclesiam librum aut fragmentum aliquod accepisse a viro charismatico, apostolis superstite, sed cujus charisma propheticum antea per ipsos apostolos jam cognovisset? Quum modus determinatus, quo testimonium divinum de

[1] In decreto laudato *de libri Isaiae indole et auctore* negative responsum est ad dubium: „Utrum doceri possit, vaticinia quae leguntur in libro Isaiae — et passim in Scripturis — non esse veri nominis vaticinia, sed vel narrationes post eventum confictas, vel, si ante eventum praenuntiatum quidpiam agnosci opus sit, id prophetam non ex supernaturali Dei futurorum praescii revelatione, sed ex his quae jam contigerunt, felici quadam sagacitate et naturalis ingenii acumine, conjiciendo praenuntiasse?" — [2] Cfr. n⁰ **53**.

inspiratione librorum N. T. ad ecclesiam pervenit, nos lateat, a judicio apodictico abstinendum censeo [1].

Extra casus sub 1^0, 2^0, 3^0 datos dogma inspirationis non tangit quaestionem de auctoribus secundariis.

Breviter haec addere liceat. Quum traditio (oralis) divina de **97.** auctoribus instrumentalibus ss. librorum non probetur, merito statuitur regula: quaestio de personis, cet. hagiographorum per se historica est, ad theologiam autem forumque ecclesiae eatenus pertinet quatenus aut veracitas aut inspiratio alicujus libri cum ea necessario connectitur. [2] Ceterum non abs re erit monuisse, traditionem etiam mere historicam, ubi et quatenus debitis characteribus vestitur, propter cavillationes quorumdam criticorum relinquendam non esse.

Art. IV

De iis, quae ad usum s. Scripturae pertinent

In hoc articulo dicemus de *sensu*, *interpretatione* et *lectione* s. Scripturae necnon de *authentia Vulgatae*.

§ I. De s. Scripturae sensu

I. **Sensus** Scripturae est sententia quam s. textus ex intentione **98.** s. Spiritus exprimit. — Dico: „ex intentione *s. Spiritus*", qui solus simpliciter et sine addito est auctor Scripturae. Porro ex

[1] In schemate pro conc. vatic. praeparato de libris s. Scripturae legebatur „quod Spiritu S. inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ecclesiae per apostolos traditi sunt". Quum autem aliquis patrum emendationem proposuisset, „*Deputatio de fide*" accepit, „ut verba ista *per apostolos* omittantur; non quidem quod verba, si dicimus *ecclesiae traditi qua tales* alium sensum fundant, quam si dicimus *per apostolos traditi*. Nam ut ecclesia de fide credendum proponere possit, librum aliquem esse inspiratum, utique non solummodo debet esse haec scientia certa, sed debet etiam esse revelata; ut vero sit revelata, debet inveniri in deposito ecclesiae, et ut inveniatur in deposito ecclesiae, utique deponi debuit a Jesu Christo, ab apostolis, etc. Sed ut nihilominus verba aliquantulum latius pateant, Deputatio proponit, ut dicatur *atque ut tales ipsi* (scil. ecclesiae) *traditi sunt*" (*Coll. lacens.* VII, p. 72 et 142). — [2] Cfr. *Rev. Bibl.* 1900, p. 30; *Civiltà*, 1903, I, p. 397; v. Hummelauer, *Exegetisches*, p. 99; Billot, *De Inspiratione*, p. 65.

habitudine auctoris instrumentalis ad principalem sequitur, sensum, quem hagiographus exprimere voluit atque expressit, semper esse sensum a Spiritu s. intentum, sed non sequitur hagiographum semper adaequate concepisse totum sensum, a Spiritu s. sive immediate sive praesertim mediate intentum [1].

99. 1° Distingui solet sensus literalis et mysticus.

Sensus literalis seu historicus est ille, quem ipsae voces in hoc contextu immediate exprimunt. — Nihil refert utrum voces sumantur proprie an improprie seu metaphorice: „Non est literalis sensus ipsa figura, sed id quod est figuratum. Non enim, cum Scriptura nominat Dei brachium, est literalis sensus quod in Deo est membrum hujusmodi corporale, sed id quod per hoc membrum significatur, scil. virtus operativa" [2]. Quod autem valet de metaphoris eodem jure applicatur parabolis, allegoriis, cet.; et ita ad inveniendum verum sensum literalem non semper sufficit singulas periodos grammaticales legere, sed considerandus est totus contextus, tum immediatus tum remotior, ipsaque species literaria libri.

100. *Sensus mysticus* (typicus, spiritualis) est ille, quem voces exprimunt non immediate, sed mediantibus rebus quas directe significant. — Deus „auctor rerum non solum potest verba accommodare ad aliquid significandum, sed etiam potest res disponere in figuram et secundum hoc in s. Scriptura manifestatur veritas dupliciter, uno modo secundum quod res significantur per verba, et in hoc consistit sensus literalis, alio modo secundum quod res sunt figurae aliarum rerum et in hoc consistit sensus spiritualis" [3]. Vides, sensum mysticum fundari super literalem, eumque necessario supponere; hinc nullam parit confusionem, „quia sensus non multiplicantur propter hoc quod una vox multa significet, sed quia ipsae res significatae per voces aliarum rerum possunt esse signa" [4].

101. 2° Hac occasione memorari solent sensus consequens et sensus accommodatus.

---

[1] Cfr. supra n° **83**, nota 3. — [2] S. THOMAS, *S. Th.* I, 1, 10, ad 3. — [3] S. THOMAS, *Quodlib, VII*, 6, 14. — [4] S. *Th.* I, **10** ad 1.

Sensus consequens est veritas, quam verba Scripturae, saltem per se sumpta, non formaliter exprimunt, sed quam nos ope ratiocinii ex sententia Scripturae legitime deducimus. Quodsi hujusmodi consectarium ita intime et evidenter verbis scripturae connexum sit, ut omnibus consideratis judicandum sit, Spiritum s. illud nobis suggerere voluisse, merito habetur sensus Scripturae, sed reapse sub sensu literali comprehenditur. Contra si vera et mera conclusio est ex verbis s. paginae, non nisi improprie sensus Scripturae vocatur.

Sensus accommodatus aut accommodatitius est sensus ab auctore **102.** Scripturae non intentus, sed qui ab alio verbis Scripturae supponitur propter quamdam similitudinem sive realem sive verbalem. Igitur non est sensus Scripturae, sed applicatio aut accommodatio ejus ad sensum alienum [1].

II. De **sensu literali**, qui in nulla Scripturae parte deficit, dis- **103.** putatur, *num possit esse multiplex.* — Non agitur de sensu incerto, qui variis explicationibus probabilibus locum praebet; non dubitatur de sensu implicito aut consequenti, nec de facto quod verba prophetica aliquando ita comparata sunt, ut deficienter verificentur in typo, perfecte vero in antitypo [2]; sed quaeritur, num hagiographus aut saltem Spiritus s. aliquando per unam literam plures sensus disparatos manifestare voluerit.

Affirmat ex patribus solus AUGUSTINUS: „Cum alius dixerit, hoc sensit [auctor Pentateuchi] quod ego, et alius, imo illud quod ego, religiosus me arbitror dicere: cur non utrumque potius si utrumque verum est? Et si quid tertium, et si quid quartum, et si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem Deus unus sacras literas vera et diversa visuris multorum sensibus temperavit" [3]. Hanc sen-

---

[1] Servatis servandis nihil impedit ad aedificationem fidelium, cet. s. Scripturam adhibere in sensu accommodato; cavendum tamen est ne sensus alienus tamquam sensus Scripturae proponatur vel etiam urgeatur. Cfr. BAINVEL, *Les contresens bibliques des Prédicateurs.* — [2] Cfr. G. GIETMANN. *Der mehrfache Sinn der h. Schrift*, in *Zeits. f. K. Theol.* 1903. p. 381; de s. Thoma cfr. BLANCHE, *Rev. Thomiste*, t. 14; p, 192. — [3] *Confess.* **12**, 31; cfr. *De doct. christ.* III, **27**, 38. —

tentiam aliquando secutus est s. THOMAS: „Non est incredibile Moysi et aliis s. Scripturae auctoribus hoc divinitus esse concessum, ut diversa vera, quae homines possunt intellegere, ipsi cognoscerent et ea sub una serie literae designarent, ut sic quilibet eorum sit sensus auctoris. Unde si etiam aliqua vera ab expositoribus s. Scripturae literae aptentur, quae auctor non intellegit, non est dubium quin Spiritus s. intellexerit, qui est principalis auctor divinae Scripturae. Unde omnis veritas, quae, salva literae circumstantia, potest divinae Scripturae aptari, est ejus sensus" [1]. At in *Summa Theol.* s. doctor jam manifeste in oppositam partem inclinat, id unum breviter addens, pluralitatem sensus non esse „inconvenientem", quia Deus omnia simul suo intellectu comprehendit [2].

Sententia multo communior, quam omnino veram habemus, contendit in quolibet loco Scripturae non esse nisi unum sensum literalem [3]. — Ceterum controversia non est magni momenti, quum loci ubi „circumstantia literae" plures sensus disparatos patitur, haud multi sint numero [4].

104. III. De **sensu mystico** haec. Per se evidens est, Deum inspirantem praeter literalem sensum aliquando intendere *potuisse* sensum spiritualem, nam ad hujusmodi intentionem sufficit, ut Deus scribere fecerit rem, ab ipso praeordinatam in figuram alterius rei. Quum sensus spiritualis, si adest, proxime non verbis Scripturae, sed rebus per eam significatis contineatur, nec necessario ab hagiographo cognosci debuit, nec a nobis sola lectione sacri textus inveniri potest.

Etsi diserta definitio ecclesiae hac de re non exstat, *indubium est, nonnullos locos Scripturae sensum spiritualem continere.* Quod probatur.

1⁰ Ex *s. Scriptura N. T.*, quae **a.** aperte habet, plura in V.T. fuisse typum seu figuram futurorum [5]; **b.** saepius dicit, in factis

---

[1] *De Pot.* **4**, 1 c.; cfr. *In II Sent.* d. 12, a. 2, ad 7. — [2] *S. Th.* I, 1, 10; cfr. etiam *Quodlib. VII*, a. 14 16. — [3] Cfr. v. g. BEELEN, *Diss. theol. de multipl. sensu literali.* — [4] Defensores pluralitatis imprimis provocant ad *Ps.* **2**, 7 (cfr. *Hebr.* **1**, 5; **5**, 5; *Act.* **13**, 33) et ad *Jo.* **11**, 50—53 (qui locus certe ad rem non facit). — [5] Cfr. v. g. *Rom.* **5**, 14; *I Cor.* **5**, 7; 10, 6, 11; *Gal.* **4**, 24; *Hebr.* **7**, 3; **9**, 9; *I Petr.* **3**, 21.

N. T. impleta fuisse effata V. T., quae in sensu literali certo huc non pertinebant [1]; imo **c.** aliquoties diserte asserit, hujusmodi rem contigisse, „ut impleretur [ἵνα πληρωθῇ] Scriptura", secundum literam aliud significans; v. g. „Ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura; .... facta sunt enim haec ut Scriptura impleretur: os non comminuetis ex eo" [2]. — Jam qui haec *omnia, aut fere omnia* per solam accommodationem aut applicationem explicare niteretur, textui sacro manifestam vim inferret, idque contra analogiam fidei. Sane sensus ecclesiae, quem nemo impune negabit, universim habet, legem veterem ex voluntate Dei fuisse figuram ac prophetiam novae. Quomodo autem haec veritas constabit, si cuncta quae in N. T. secundum sensum obvium et naturalem typice explicantur, ratione veri typi (i. e. figurae a Deo praeordinatae) exuantur? — Concedimus, etiam apostolos et hagiographos N. T. Scripturam subinde adhibere potuisse per modum merae accommodationis; fatemur in nonnullis casibus difficulter definiri, utrum accommodatione utantur an verum typum explicent, sed modum excederet, qui omnem veri nominis typologiam de medio tolleret.

Immerito autem typologia N. T. in eodem sensu haberetur cum **105.** modo agendi auctorum rabbinicorum ejusdem et inferioris epochae, qui verbis Scripturae sensus alienos et contortos supponendo, veram „exegesim creatricem" coluerunt. Spectato modo agendi apostolorum omnino admittendum videtur, rationem typicam V.T. respectu regni messiani Judaeos, apostolorum coaevos, non latuisse. Quidni igitur auctores profani principium verum ac sanum immodice, imo inepte applicando in argutias incidere, hagiographi vero, Spiritu s. ducti, rectam mensuram servare potuerunt?

2° Ex *ss. Patribus*, qui communi consensu sensum spiritualem in Scripturis agnoverunt, eumque ab antiquissimis temporibus multum coluerunt.

---

[1] Cfr. v. g. *Mt.* **2**, 17 (*Jerem.* **31**, 15); *Mt.* **3**, 3 (*Is.* **40**, 3); *Mt.* **27**, 9 (*Zach.* **11**, 12—13; *Jerem.* **32**); *Act.* **1**, 16—20 (*Ps.* **68**, 26; **108**, 8). — [2] *Jo.* **19**, 36 (*Exod.* **12**, 46. *Num* **9**, 12); cfr. v. g. *Mt.* **2**, 15 (*Osee* **11**, 1); *Mt.* **13**, 35 (*Ps.* **77**, 2); *Jo.* **13**, 18 (*Ps.* **40**, 10).

106. Quaestio *num determinatus locus Scripturae sensum typicum habeat*, cum plena certitudine non nisi divino testimonio solvi potest. Hujusmodi autem testimonium adest, quoties certo constat, Christum, apostolos, hagiographos N. T. textum s. Scripturae revera typice explicasse. Verum supposita ratione typica V. T. in genere, sola comparatio factorum cet. vetéris legis cum eventibus novi testamenti sufficere potest ad sensus quosdam mysticos cum majori minorive probabilitate inveniendos. Probabile videtur, etiam apostolos et hagiographos N. L. sensus typicos, quos proponunt, non semper proprie dicta revelatione, sed potius comparatione ut supra cognovisse. Quum tamen in hujusmodi comparatione instituenda aut saltem in judicio suo proferendo lumine inspiratorio ducerentur, ab omni errore immunes fuerunt. S. patres autem hujusmodi auxilio caruerunt, et ideo in propriis explicationibus errare potuerunt. Dico: „in *propriis* explicationibus", ubi enim in casu particulari sensum spiritualem, in N. T. non indicatum, consensu moraliter universali proponerent, potius testes divinae traditionis habendi essent. — Ceterum quod supra de hagiographis N. L. diximus, etiam valet de s. patribus et liturgia ecclesiastica: saepius difficulter dijudicatur, utrum verum sensum spiritualem admittant an sola accommodatione utantur.

Per se patet, sensum spiritualem, nisi de ejus exsistentia certo constet, non praebere argumentum efficax ad probationem dogmatis; ad usum tamen asceticum solida probabilitas sufficit.

§ 2. De s. Scripturae interpretatione et lectione

107. *Protestantes* inde a Luthero summopere efferunt *perspicuitatem* Scripturae. Fatentur quidem, permulta in Scriptura absque exegesi scientifica intellegi non posse; fatentur non singulos locos ad fidem moresque pertinentes per se claros esse; sed contendunt fideles, qui animae suae serio consulentes totam Scripturam perlegunt, ita facile in ea invenire viam salutis, i.e. doctrinas ad salutem necessarias, ut magisterio ecclesiae aut sacerdotum minime indigeant. Hanc intellegendi facilitatem imprimis tribuunt Spiritui s., qui

singulorum fidelium corda inhabitat, cujus unctionem singuli perceperunt [1]. Hinc non solum totius Scripturae lectionem omnibus indiscriminatim summopere commendant, sed insuper docent, cuilibet privato homini liberum esse, ut Scripturam qualem ipse eam intellegit, judicio et praedicationi ecclesiae praeferat [2].

Catholici non negant, dogmata quaedam fundamentalia in Scrip- **108.**
tura de facili inveniri, praesertim ab iis qui, principiis christianae religionis imbuti, analogiam fidei sequuntur; sed docent: **a.** judicium authenticum de sensu Scripturae in rebus fidei et morum ex ordinatione Christi competere magisterio ecclesiae, proinde nemini liberum esse, ut a sensu, quem tenuit ac tenet ecclesia, umquam recedat; deinde **b.** hujus ordinationis congruentiam imo necessitatem relativam repetunt ex eo, quod Scriptura, ne quidem in rebus fidei et morum, ita perspicua est, ut singulis fidelibus regula proxima fidei esse possit. Denique **c.** adjiciunt, lectionem privatam s. Scripturae, quum per se utilissima quidem sit, sed non necessaria, ab ecclesia pro temporum locorumque adjunctis moderari posse.

Conc. vatic.: „Nos decretum [conc. trid.] renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu s. Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet s. mater ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum patrum ipsam Scripturam s. interpretari" [3]. — Decretum non esse mere disciplinare, sed dogmaticum patet tum ex subjecta materia tum ex loco, quem in conc. vatic. occupat.

Interpretatio *authentica* seu dogmatica ea est, quae per seipsam **109.**
fidem facit, quia emanat a magisterio divinitus constituto. Potest

---

[1] Cfr. v. g. *I Jo*, **2**, 20, 27; *Jerem.* **31**, 31—34. — [2] Cfr. v. g. BAVINCK, *Ger. Dogmatiek*, I, p. 394—399. — [3] *Conc. trid.* (s. 4) formam *negativam* adhibuerat, vetans, ne quis Scripturam exponeret *contra* sensum ecclesiae. Hinc nonnulli inferebant: nefas est Scripturae affingere sensum, quo dogma ecclesiae excluditur seu negatur, sed necesse non est admittere sensum ab ecclesia propositum. Ita v. g. liberum esset dicere: textus *Jac.* 5, 14 non agit

esse aut mere authentica [1], aut infallibilis, quae sola absolute ligat, et cui praecipue attendimus. Interpretationi authenticae opponitur *privata* seu scientifica, quae solis rationibus hermeneuticis atque eruditione personali nititur et salvo religiosae subjectionis officio respui potest.

Interpretatio authentica natura sua *limitatur ad „res fidei et morum*, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium"; nam res mere profanae auctoritati doctrinali ecclesiae non subsunt [2]. Ceterum ipsa concilia trid. et vatic. hanc limitationem satis indicant.

Dicitur autem, explicationem authenticam limitari ad „*res* fidei et morum", non vero ad locos seu textus, doctrinam de fide et moribus tractantes. *Textus per se inspirati* duplici titulo sunt res fidei et morum, primo ratione materiae, deinde ratione inspirationis vel, ut vocari solet, ratione dicentis, *textus per accidens inspirati* solo titulo inspirationis sunt res fidei et morum, unde in tantum ad forum ecclesiae pertinent, in quantum etiam in iis vindicanda sunt factum inspirationis et necessarium ejus consectarium, quod est inerrantia [3].

Denique observa phrasim: „res fidei et morum, *ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium*". Porro manifestum est aedificium doctrinae christianae non solis doctrinis (speculativis et practicis) presse sumptis exstrui, sed etiam multis factis historicis, quibus non admissis doctrina christiana fundamento, defensione, commendatione careret. Igitur textus, ubi hujusmodi facta referuntur non tantum ratione inspirationis, sed etiam ratione ipsius materiae interpretationi ecclesiasticae subsunt. Quodsi quandoque dubium est, utrum res aliqua ad aedificationem doctrinae christianae pertineat, necne, ultimo standum erit judicio ecclesiae, quae certe de ambitu suae jurisdictionis infallibiliter statuere potest [4].

---

de Ext. Unctione, nihilominus admitto s. Unctionem esse verum N. L. Sacramentum. Ad hanc igitur explicationem, utique contortam, excludendam patres vatic. formam negativam mutarunt in *positivam;* et ita genuinam mentem conc. trid. apertius explicarunt.

[1] Cfr. tract. *De Eccles.* n° **79, 180, 198.** — [2] Cfr. *De Eccles.* n° **85.** — [3] Cfr. *Coll. Lac.* VII, p. 226 et 240. — [4] Cfr. MANGENOT in *Dict. de la Bible*, III, p. 619, ubi referuntur controversiae recentes de interpretatione authentica s. Scripturae.

I. *Scriptura non tam aperta est, ut singulis fidelibus regula proxima fidei esse possit.* **110.**

Probatur. 1° Ex *s. Scriptura*. S. Petrus de epistolis paulinis: „In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem" [1]. Ultima verba ostendunt, agi de intellectu ita erroneo, ut salutem impediat. Ipsi apostoli interpretatione Domini indigebant: „Tunc aperuit illis sensum, ut intellegerent Scripturas" [2]. Neque in contrarium probant *Ps.* **18**, 8–9; **118**, 105, 130; *Prov.* **6**, 23, qui textus non directe de Scriptura, multo minus de universa Scriptura, sed de doctrina praeceptisque divinis agunt [3].

2° Ex *factis*. VINCENTIUS LERIN. „auctoritatem ecclesiasticae intellegentiae" necessariam esse dicit, „quia Scripturam pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu accipiunt universi, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut paene quot homines sunt, tot illinc sententiae erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, aliter postremo Nestorius" [4]. Numquid forte errores Sabellii, Arii, Nestorii salutem non impediebant? Notum est distichon theologi reformati SAM. WERENFELS († 1740) de Scriptura: „Hic liber est, in quo sua quaerit dogmata quisque, invenit et pariter dogmata quisque sua" [5]. Denique nostris diebus Dr. BAVINCK: „Doctrina de perspicuitate Scripturae absque dubio gravia importat pericula. Per eam protestantismus ad desperationem usque divisus est" [6].

---

[1] *II Petr.* **3**, 6. — [2] *Luc.* **24**, 45; cfr. *Act.* **8**, 30—31. — [3] Item parum proficiunt protestantes provocando ad s. Chrysostomum, qui claritatem quidem Scripturae emphatice laudat (*Hom.* 3 *de Lazaro*, n° 2 et 3; *Hom.* 3 *in II Thessal.* n° 4), sed nihilominus monet in difficilioribus adeundos esse doctiores, rogandos esse sacerdotes, imo agendo de verbis „Scrutamini Scripturas" aperte dicit: „Neque enim [ea quae in prophetis de Christo dicuntur] in superficie vel in conspectu jacent, sed quasi thesaurus quispiam profunde admodum recondita sunt" (*Hom.* 41 *in Jo.* n° 1). — [4] *Common.* 2. — [5] *Diss. var. arg.* II, p. 391. — In eumdem sensum nostrates: „Iedere ketter heeft zijn letter." [6] „Ze brengt zeer zeker haar ernstige gevaren mede. Het Protestantisme is er hopeloos door verdeeld. Het individualisme heeft zich ten koste van het gemeenschapsgevoel ontwikkeld. Het vrije lezen en onderzoeken der Schrift is en wordt door allerlei partijen en richtingen op de schromelijkste wijze misbruikt. Maar toch wegen de nadeelen tegen de voordeelen niet op." Et sequuntur quaedam de libertate conscientiae, de hominibus incredulis et

Porro si his adjunxeris historiam controversiarum tum apud catholicos tum apud protestantes, quibus persaepe homines sinceri nec salutis suae incurii de genuino sensu Scripturae multum disputarunt, facile intelleges, textum *I Jo.* 2, 20, 27, ubi legimus fideles unctionem habere a Sancto et omnia nosse, nec necesse habere, ut aliquis eos doceat, perperam a protestantibus ita intellegi, ac si cuilibet christiano promissus esset Spiritus s. ad Scripturam independenter ab ecclesia rite intellegendam [1]. Numquid dici potest, omnes qui errarunt pro infidelitate aut socordia sua Spiritu s. caruisse? Numquid sustineri potest, semper disputatum fuisse imprimis apud protestantes de rebus ad salutem non necessariis? Quot sunt dogmata, quae reapse ab omnibus protestantibus in Scriptura inveniuntur?

111. Obscuritas Scripturae facile *explicatur*, primo ex mysteriis et veritatibus altissimis quas continet, deinde ex eo quod ante multa saecula conscripta est a viris, ingenio et indole tum inter se, tum praesertim a nobis multum distantibus, qui utebantur idiomate et modo dicendi orientali et saepe respiciebant adjuncta, nobis minus cognita vel etiam incognita.

112. Aliunde obscuritas illa *utilitate non caret:* „Deo sic providente (quae vulgata est opinio s. patrum), ut homines majore cum desiderio et studio illos [libros] perscrutarentur, resque inde operose perceptas mentibus animisque altius infigerent; intellegerentque praecipue, Scripturas Deum tradidisse ecclesiae, qua scil. duce et magistra in legendis tractandisque eloquiis suis certissima uterentur" [2].

Ceterum etiamsi Scriptura multo planior atque apertior exsisteret, quam revera est, adhuc moraliter indigeret interprete aut

---

indifferentibus, qui in regionibus catholicis non pauciores sunt numero quam in protestanticis, de foeda superstitione plebis in ecclesia graeca et romana: „Mariadienst, reliquieënvereering, beeldendienst, heiligenaanbidding verdringen steeds meer den dienst van den eenigen waarachtigen God"! (*Ger. Dogmatiek*, I, p. 396 seq.)

[1] Seifsus genuinus ex contextu est: vos ex praedicatione apostolica et unctione Spiritus s., qua fidem accepistis et tenetis, satis instructi estis, nec ab antichristis discere indigetis. — [2] Leo XIII in Enc. *Providentissimus* (*Alloc.* V, p. 212).

saltem vindice authentico sensus sui. Numquid moraliter possibile est, librum de rebus religiosis et moralibus ita componere, ut saltem tractu temporis dubitationibus ac disceptationibus locum non relinquat?

II. *Interpretatio authentica s. Scripturae magisterio ecclesiae competit.* — De fide est ex conc. vatic., supra laudato. **113.**

Probatur. 1° Ex *institutione magisterii perpetui et infallibilis*, alibi probata. Sane si Christus magisterium vivum et perpetuum instituit ad universam doctrinam suam conservandam et auctoritative praedicandam, certe interpretationem Scripturae in materia fidei et morum ingenio singulorum relinquere noluit. Et conclusio adhuc magis urgeret, si verum esset quod protestantes asserunt, Scripturam esse unicum fontem revelationis. Tunc enim, substracta Scriptura, magisterio ecclesiastico jam nihil remaneret docendum! Adhuc: si Christus magisterium ecclesiasticum charismate infallibilitatis donavit, ut omnes fidem suam tuto ab eo discerent, certo non eo sensu singulis fidelibus Spiritum s. promisit, ut quilibet independenter a magisterio, imo contra magisterium Scripturam sibi explicaret.

2° Ex *ss. Patribus.* S IRENAEUS: „Ubi charismata Domini sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quae est ab apostolis, ecclesiae successio. Hi enim sine periculo Scripturas nobis exponunt." [1] — TERTULLIANUS: „Ubi apparuerit esse veritatem et disciplinae et fidei christianae [i. e. ubi apparuerit esse veram ecclesiam], illic erit veritas Scripturarum et expositionum et omnium traditionum christianarum" [2]. — VINCENTIUS LERIN.: „Multum necesse est, ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur" [3].

Objiciunt protestantes per doctrinam catholicam de interpretatione Scripturae **a.** ecclesiam i. e. homines constitui supra verbum Dei; **b.** auferri libertatem conscientiae et exegeseos; **c.** studia biblica interimi. **114.**

[1] *Adv. haer.* IV, **26**, 5; cfr. **33**, 8. — [2] *De Praescript.* **19**, cfr. 37—39. — [3] *Common.* **2**.

Resp. ad **a**. — Ecclesia in credendo et praedicando dirigitur per verbum Dei, et ita est sub verbo Dei; sed est supra privatam et fallibilem intellegentiam singulorum, idque non quatenus est societas ex hominibus coagmentata, sed quatenus per assistentiam Spiritus s. infallibilis redditur in cognoscenda et praedicanda doctrina christiana.

115. Ad **b**. — Supposita institutione divina et infallibilitate magisterii ecclesiastici, interpretatio authentica non magis impedit legitimum libertatis usum quam ipsa revelatio. Si obligatio admittendi doctrinam, sive in Scriptura sive extra eam divinitus revelatam, jura hominis non laedit, quomodo obligatio sequendi explicationem divinitus veram ejusdem doctrinae ea laederet? Numquid excluso errore minuitur libertas sive conscientiae sive scientiae theologicae?

116. Ad **c**. — Minime; „nam privato cuique doctori magnus patet campus, in quo tutis vestigiis sua interpretandi industria praeclare certet, ecclesiaeque utiliter. In locis quidem divinae Scripturae, qui expositionem certam ac definitam adhuc desiderant, effici ita potest, ex suavi Dei providentis consilio, ut quasi praeparato studio, judicium ecclesiae maturetur; in locis vero jam definitis potest privatus doctor aeque prodesse, si eos vel enucleatius apud fidelium plebem et ingeniosius apud doctos edisserat, vel insignius evincat ab adversariis" [1]. Quatenus igitur studia biblica inter catholicos aliquando minus floruerunt, aut temporum injuria aut hominum socordia in causa fuere. Quodsi putaveris securitatem de veritate in necessariis segnitiei humanae nonnihil favere posse, id certe per accidens est. Ceterum minus malum est non ita florere studia scripturistica, quam veritatem religiosam etiam in rebus summi momenti perpetuis disputationibus obnubilari!

117. **Scholion**. *Regulae dogmaticae pro interpretatione Scripturae.* Ex dogmate exposito sponte fluunt regulae quaedam in privata s. Scripturae explicatione observandae. Dicuntur autem regulae dogmaticae, ut distinguantur a legibus mere scientificis hermeneuticae.

1° In locis per se inspiratis semper retinendus est sensus, quem *ecclesia aut solemni judicio aut ordinario et universali magisterio*

[1] Enc. *Providentissimus*, (l. c., p. 212).

declaravit. LEO XIII: „Praecipuum sanctumque sit catholico interpreti, ut illa Scripturae testimonia, quorum sensus authentice declaratus est, aut per sacros auctores Spiritu s. afflante, uti multis in locis N. T., aut per ecclesiam, eodem Sancto assistente Spiritu, sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio, eadem ipse ratione interpretetur" [1].

Stricte loquendo superfluum est, huic regulae praemittere restrictionem „in locis per se inspiratis", quum propositio definitoria ecclesiae, sive solemnis sive non solemnis, de ipso sensu aliorum locorum non detur. Nihilominus limitationem adjecimus ut intellegatur, aliud esse sensum alicujus loci praedicatione ordinaria et universali *ex professo declarare et tenendum proponere*, aliud ex opinione *scientifica* universaliter admissa *obiter sequi* sensum obvium loci per accidens inspirati.

Ceterum non abs re erit monere, soli quidem explicationi definitoriae deberi assensum absolute firmum, verum etiam explicationem mere authenticam congrua reverentia esse accipiendam [2].

118. 2° In locis per se inspiratis semper retinendus est sensus, quem *ss. patres consensu moraliter unanimi declararunt.* Ratio est, quod consensus unanimis s. patrum traditionem ecclesiae cum certitudine manifestat, uti in altero hujus tractatus capite dicetur [3]. LEO XIII: „SS. patrum summa auctoritas est, quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad fidei pertinens morumve doctrinam, uno eodemque modo explicant omnes: nam ipsa eorum consensione ita ab apostolis secundum catholicam fidem traditum esse nitide eminet" [4].

Iterum monemus solum consensum patrum moraliter unaninem absolute ligare; nihilominus etiam explicationem, multorum tantum patrum auctoritate commendatam, haud facile esse relinquendam [5].

Contra ubi constiterit agi de re mere profana, intellectus s. patrum, etiamsi forte in unum consenserint, interpretem catholicum non ligat. LEO XIII: „Quocirca studiose dignoscendum in illorum interpretationibus, quaenam reapse tradant tamquam spectantia ad fidem, quaenam unanimi tradant consensu, namque in his,

---

[1] L. c., p. 213. — [2] De subjectione magisterio mere authentico debita dicitur in Tract. *de Fide.* — [3] Inferes, stricte loquendo hanc secundam regulam sub prima jam comprehendi. — [4] L. c., p. 214. — [5] Cfr. LEONEM XIII, ibidem.

quae de necessitate fidei non sunt, licuit sanctis diversimode opinari sicut et nobis, ut est s. Thomae sententia" [1].

119. 3° In locis per se inspiratis, pro quibus interpretatio authentica et consensus patrum desideratur, semper *respicienda est analogia fidei catholicae*. LEO XIII: „In ceteris analogia fidei sequenda est et doctrina catholica; qualis ex auctoritate ecclesiae accepta tamquam summa norma est adhibenda . . . Ex quo apparet, eam interpretationem ut ineptam et falsam rejiciendam, quae vel inspiratos auctores inter se quodammodo pugnantes faciat, vel doctrinae ecclesiae adversetur" [2].

Analogia autem fidei interpreti semper servit *negative*, quatenus np. eum praeservat ab explicatione fidei catholicae incompossibili; praeterea ei aliquando *positive* adjuvat, indicando viam ad verum alicujus loci sensum facilius inveniendum [3]. Ita v. g. doctrina catholica de juramento viam planat ad explicanda verba Domini apud *Mt.* 5, 33—37.

120. 4° In locis etiam per accidens tantum inspiratis *numquam* admitti potest interpretatio, *quae doctrinam catholicam de inspiratione et inerrantia totius Scripturae offenderet*. Rev^mus^ relator *Deputationis fidei* ad praeparanda decreta conc. vatic.: „Quod attinet interpretationes circa veritates historicas, dico, hujusmodi interpretationes aut non sunt contra dogma inspirationis s. Scripturae et singularum partium, aut sunt contra hoc dogma. In casu priori utique libere de iis interpretationibus potest disputari; in casu posteriori si talis interpretatio veritatis historicae offenderet dogma inspirationis, jam utique spectat ad res fidei et proinde certe ecclesia hac de re judicandi jus habet" [4].

Ceterum libenter assentior cl. Granderath dicenti, reprehensione dignum esse exegetam, qui etiam in hujusmodi rebus *leviter* i. e. absque ratione vere probabili a sensu obvio et communi intellectu

---

[1] L. c., p. 220. — [2] L. c., p. 213. — [3] Hinc vides, quantopere a vero aberrant, qui exigunt ut exegeta ad s. Scripturam accedat nulli dogmati adhaerens, nulla fide imbutus, ut ex sola Scriptura doctrinam suam quaerat! Haec postulatio, quam ceteroquin nec ipsi reformati acceptant (BAVINCK, I, p. 399), per principia catholica de habitudine Scripturae ad ecclesiam a limine excluditur. [4] *Coll. lac.*, VII, p. 240.

patrum recederet, aut ita ab iis recederet, ut sine causa proportionata populo christiano *causa scandali* esset. Hujusmodi interpretatio, dato etiam quod vera esse possit, certe reverentiam Scripturae debitam laederet et hac de causa v. g. ut „piarum aurium offensiva" censurari posset [1].

III. De *privata s. Scripturae lectione* haec teneantur. **121.**

1° Lectio s. Scripturae singulis fidelibus *non est necessaria*, nec necessitate medii, quia doctrinam de fide et moribus non solum sufficientem, sed etiam uberem sibi praeter Scripturam comparare possunt; neque ex praecepto divino, quippe quod nullo modo probatur. Provocatur quidem ad verba Domini: „Scrutamini [ἐρευνᾶτε] Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere; et illae sunt quae testimonium perhibent de me" [2]; sed frustra. Nam **a.** ex contextu ἐρευνᾶτε videtur esse forma non imperativa sed indicativa; **b.** dato etiam quod esset imperativa, textus nihil probaret. Ex eo enim quod Christus judaeos, scribas scil. et pharisaeos ad Scripturas V. T. remittit, ut inde divinam ipsius missionem discant, minime sequitur eum cunctos fideles ad lectionem s. Scripturae obligare voluisse. Merito igitur s. AUGUSTINUS: „Homo fide, spe et charitate subnixus, eaque inconcusse retinens, non indiget Scripturis nisi ad alios instruendos. Itaque multi per haec tria etiam in solitudine sine codicibus vivunt" [3].

2° Lectio s. Scripturae *per se* loquendo *utilissima* est; nam **122.** „omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia" [4]. Verum ex obscuritate Scripturae utilitati semper adjungitur *aliquod periculum*, ne indocti eam non recte intellegant et ita in errores inducantur. Hinc ecclesia, cui Christus bonorum spiritualium moderamen commisit, non vituperanda sed laudanda est, si periculum illud qualecumque demum sit removere nititur, v. g. praescribendo, ut fideles si s. Scripturam legere velint, utantur versione congruis annotationibus illustrata. — Ceterum quicumque Scripturam legerunt,

---

[1] Cfr. *Der Katholik*, 1898, II, p. 396. — [2] *Jo.* 5, 39. — [3] *De doct. christ.* I. 39, 43. — [4] *II Tim.* 3, 16.

norunt, singulos libros nec aequalem utilitatem, nec aequale errandi periculum offerre.

3° Fieri potest ut *periculum* praedictum, quod pro hominibus adultis, ecclesiae sincere addictis et principiis catholicis rite imbutis, per se non ita magnum exsistit, *ex peculiaribus temporum et locorum adjunctis ita ingravescat, ut promiscua Scripturae lectio nociva potius quam utilis existimanda sit.* Quod si contingat, ecclesia ét jure suo utitur ét sapienter agit, si communibus fidelibus lectionem Scripturae interdicit, iis tantum facultatem concessura, quibus reapse proficua erit [1].

123. 4° Ex praedictis explicatur, quare *disciplina ecclesiae* circa lectionem s. Scripturae permittendam aut commendandam, *haud semper eadem fuerit.*

Ante saec. XIII nulla prohibitio aut restrictio exstitit [2]; imo plures s. patres lectionem Scripturae enixe commendarunt. Fuerunt quidem multae sectae, quae Scriptura abutebantur, sed abusus generatim ad paucos textus coarctabatur.

A saec. XIII usque ad reformationem fuerunt quaedam prohibitiones partiales et locales [3].

Tempore reformationis, quum novatores s. Scriptura „perspicua et per se sola sufficiente" uterentur tamquam telo praecipuo ad ecclesiasticam traditionem et hierarchiam interimendam [4], Pius IV a. 1564, approbando et promulgando *regulam quartam Indicis*, lectionem s. Scripturae in lingua vulgari interdixit omnibus, qui facultatem in scriptis, ex consilio parochi vel confessarii ab episcopo

[1] Ex iis, quae n° 1—3 diximus, facile intellegitur, merito proscriptas esse quasdam prop. Quesnelli et synodi pistor. apud DENZ. n° 1429—1435 et n° 1567. — [2] Immerito dicitur, Gregorium pp. VII s. Scripturam Bohemis interdixisse; cfr. *Zeits. f. kath. Theol.* 1901, p. 746. — [3] Perturbationibus Catharorum commotae *synodus tolosana* a 1229 s. Scripturam interdixit, *synodus tarraconensis* a 1233 versionem romanicam clericis simul et laicis prohibuit (cfr. HEFELE, *Conciliengesch.* V², p. 982 et 1037). Wicliffianorum causa *synodus oxoniensis* a. 1408 proscripsit versiones anglicas, non omnes tamen, sed eas quae approbatione ecclesiastica distituebantur (cfr. HEFELE, l. c., VI², p. 984 et *Stimmen*, **66**, 1904, p. 351). — [4] DR. BAVINCK: „Inderdaad hebben de kerken der Hervorming tegenover Rome geen machtiger wapen dan de Schrift; zij brengt aan de kerkelijke traditie en hierarchie de doodelijkste slagen toe" (*Geref. Dogmatiek*, I, p. 396).

aut inquisitore concedendam, non obtinuissent. Ratio vetiti praemittebatur his verbis: „Quum experimento manifestum sit, si s. biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti quam utilitatis oriri", cet. — Sixtus V et Clemens VIII praedictae facultatis concessionem sedi apostolicae et s. Congr. Indicis reservarunt. — Imminuto autem periculo, lex ista tum (ut videtur) decreto Benedicti XIV, tum saltem consuetudine multum mitigata fuit, donec Leo XIII eam reformavit ut sequitur.

5° *Hodierna disciplina* [1] huc redit. 124.

a. Editiones *textus originalis, antiquarum versionum catholicarum,* necnon *aliarum versionum in lingua non-vulgari,* publicatae ab *acatholicis* permittuntur *iis tantum,* qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, *dummodo* tamen in prolegomenis aut adnotationibus non impugnentur catholicae fidei dogmata. — Igitur eaedem editiones a *catholicis* publicatae omnibus permittuntur.

b. Versiones omnes in lingua *vernacula,* etiam a catholicis confectae, prohibentur, nisi fuerint *ab apostolica sede approbatae* aut *editae sub vigilantia episcoporum cum adnotationibus* desumptis ex s. ecclesiae patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus [2].

c. Versiones omnes in *quavis lingua vulgari,* ab *acatholicis* confectae, permittuntur *iis tantum,* qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, *dummodo* ut supra (sub **a.**).

Quum etiam versiones, lege ecclesiastica omnibus permissae, in casu particulari periculum creare queant, conc. prov. ultraject. habet: „*Consulendum* erit fidelibus, ut et pro illis legendis retinendisque a parocho vel confessario licentiam expostulent" [3].

Nuper Pius X laudavit et indulgentiis auxit societatem italam a, s. Hieronymo dictam, quae, infimo pretio partem historicam N. T. divulgando, in familiis christianis lectionem s. Evangelii promovere nititur. Siquidem ait pontifex: Evangelium „est liber omnium, ex quo etiam humilium animae haurire sciunt instructiones utiles simul et dulces" [4].

---

[1] Cfr. *Decr. gen. de prohib. et censura libr.* t. 1, c. 2 et 3. — [2] De *facto* sedes apostolica versiones absque annotationibus non Solet approbare. — [3] L. c., p. 115. — [4] Cfr. *Civiltà,* S. XVIII, T. XII (1903). p. 736.

125. *Corollaria.* 1. Notum est, *societates biblicas* protestantium [1] ab ecclesia saepius et acerbis verbis reprobatas fuisse. Praeter pericula, indiscretam s. Scripturae lectionem concomitantia, rationes sunt: **a.** societates illae omnino nituntur principio haeretico de Scriptura unica et proxima fidei regula; **b.** pro fidelitate versionum distributarum nulla legitima auctoritas spondet; **c.** distributio et colportatio bibliorum saepe adhibetur ut medium ad plebem incultam a religione catholica avertendam [2].

126. 2. Antiqua fabula habet, Lutherum aut generatim reformatores s. Scripturam veluti e pulvere effodisse. Hinc non abs re erit pauca annotare de *versionibus catholicis* s. Scripturae *in lingua vulgari*, ante reformationem *typis impressis* [3].

Versio *germanica* totius Scripturae prodiit Argentorati c. 1466; ante a. 1500 fuerunt editiones quindecim.

Versio *italica* totius Scripturae prodiit Venetiis a. 1471; ante a. 1500 fuere editiones novem.

Versio *bohemica* Nov. Test. prodiit a. 1475; totius Scripturae a. 1488; iterum 1489.

Versio *neerlandica* Vet. Test. prodiit Delphis a. 1477 (traductio Psalmorum primum omissa, sequebatur ibidem a. 1480); totius Scripturae Lovanii et Antverpiae a. 1518; iterum 1525.

Versio *gallica* totius Scripturae prodiit a. 1477; usque ad a. 1500 fuere editiones tres.

Versio *hispana* totius Scripturae opere Bonifacii Ferrer prodiit Valenciae a. 1478.

Versio *lemovicensis* totius Scripturae prodiit Valentiae a. 1478.

Interim versio *latina* totius a. Scripturae (quae Moguntiae a.

---

[1] Cfr. *Kirchenlexikon* in voce: *Bibelgesellschaften.* — [2] Ad rem PERTHES (auctor protestans): „Die Mittel der protestantischen Bibelgesellschaften, um den Katholiken Biblen beizubringen, würden wir, wenn Katholiken sie anwendeten, jesuitische Proselytenmacherei nennen" (apud HETTINGER, *Apologie*, IV[7] p. 494). — [3] Cfr. F. FALK, *Die Bibel am Ausgange des Mittelalters* (1905), p. 91; GROENEN, *Alg. Inleiding tot de H. Schrift; Geschied. v. d. Tekst*, pag. 312 seq. et *Kirchenlex.* in voce: *Bibelübersetzungen*, ubi et de versionibus manuscriptis ante artem typographicam confectis. De his SCHANZ: „Die erste Uebersetzungen in die Volkssprache weisen weiter zurück als man bisher annam, und sind nicht häretischen, z. B. waldensischen Einflüssen zuzuschreiben" (*Apol.* II[3], p. 682). Quod prima versio anglica Wicliffo non debetur, vide *Stimmen*, 1904, **66**, p. 349.

1450—1455 ante omnem alium librum typis mandata erat) quinquagies sexies excudebatur.

Editiones partiales generatim omisimus.

§ 3. De authentia Vulgatae[1]

Hucusque generatim egimus de Scriptura inspirata, abstractione 127.
facta a forma ejus concreta, quam ecclesia latina per multa saecula adhibet; modo dicendum est de auctoritate illius formae seu editionis, quae ex usu longaevo et universali „vetus et vulgata editio", imo simpliciter *Vulgata* dici consuevit.

I. *Origo Vulgatae* debetur s. Hieronymo, qui a. 383—405.

a. omnes libros Vet. Test. protocanonicos (excepto Psalterio) una cum Tobia et Judith *de novo ex originalibus transtulit;* **b.** versionem „italam" Psalterii et totius Nov. Test. *emendavit,* illam quidem ex Hexapla Origenis, hanc vero ex graeco originali; **c.** reliquos libros deutero-canonicos Vet. Test. sicut et fragmenta deutera Esther et Danielis *absque emendatione desumpsit* ex antiqua versione latina[2].

Vulgata hieronymiana, initio ab aliis magno plausu suscepta ab aliis acriter impugnata, sensim sine sensu antiquam versionem latinam expulit, ita ut saltem a medio saec. VII universaliter recepta fuerit[3]. S. ISIDORUS HISPAL. († 636): versione s. Hieronymi „generaliter omnes ecclesiae usquequaque utuntur, pro eo quod veracior sit in sententiis et clarior in verbis"[4].

—*Vulgata* Hieronymi ad ultimum perfectionis apicem utique non pertingit; nihilominus magnam ejus praestantiam plures heterodoxi et rationalistae agnoverunt[5].

---

[1] Cfr. FRANZELIN, thes. 18 et 19: VERCELLONE, *Sulla autenticità delle singole parti della Bibbia volgata.* 1866; *Rev. du Clergé français,* 1895 (*Rev. Bibl.* 1895, p. 649); *Études.* 1898 (t. 75) p. 216. — [2] S. Hieronymus primo *Psalterium* Italae magna parte emendavit (*Psalterium romanum*), deinde illud iterum expurgavit (*Psalterium gallicanum*), denique illud de novo ex hebraeo transtulit. Non haec nova traductio, sed altera correctio seu *Psalterium gallicanum* prostat in *Vulgata.* — [3] In nonnullis partibus s. Liturgiae, iis praesertim quae chorum spectant, usus versionis prae-hieronymianae diutius perseveravit, imo ex parte adhuc perseverat. Hinc v. g. diversitas *Ps.* **94** post Invitatorium *Matutini* (Itala) et in *3 Noct.* Epiphan. (Vulgata). — [4] *De Offic.* I, **12**, 8. — [5] KEIL (*Einl.* p. 572): „Seine Ueberzetzung übertrifft alle alten Versionen an

128. II. *Conc. trident.* s. 4, a. 1546, duplici decreto *Vulgatam veluti consecravit,* primum magis ex obliquo, mox etiam directe. Verum ut haec decreta rite intellegantur, tria distinguere oportet.

a. *Versio Vulgata,* qualis e manibus s. Hieronymi prodiit.

b. *Editio vulgata,* quae tempore conc. trid. „longo tot saeculorum usu in ipsa ecclesia probata" erat. Haec autem non erat singularis aliquis codex, sed repraesentabatur per innumeros codices versionis vulgatae, tum manuscriptos tum impressos, quibus ecclesia occidentalis per multa saecula usa erat et tunc temporis utebatur. Innumeri illi codices, etsi quoad substantiam versionem hieronymianam exhibebant, minime usque ad ultimum apicem conveniebant; permultae enim in iis irrepserant mendae tum librariorum incuria, tum temere emendantium audacia. Patres tridentini hanc mendositatem apprime cognoscebant, et ideo eadem sessione quarta decreverunt, „ut posthac s. Scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et vulgata editio, quam emendatissime imprimatur". Hujus decreti fructus fuit:

c. *Vulgata sixto-clementina,* i. e. illud exemplar editionis vulgatae, quod jussu Sixti V et Clementis VIII a mendis et pravarum emendationum erroribus purgatum a. 1592 prodiit, et ad cujus fidem omnes editiones posteriores redigi debuerunt et adhuc debent[1].

Porro decreta tridentina loquuntur de *editione vulgata,* qualem eam sub **b.** descripsimus; siquidem attento tempore nihil aliud respicere possunt.

Genauigkeit und Treue." DE WETTE-SCHRADER (*Einl.* p. 137): „Vermöge seiner Sorgfalt brachte er vielleicht das Vortrefflichste zu Stande, was in dieser Art das ganze Alterthum aufzuweisen hat". BLEEK—WELLHAUSEN (*Einl.* p. 598): „Die Arbeit im Ganzen ist von unbefangenen Richtern allezeit als sehr gelungen anerkannt". TEUFFEL (*Röm. Literaturgesch.*[3], p. 1023): „Die Bibelübersetzung des Hieronymus ist in ihrer Art ein Meisterwerk" (Apud CORNELY, *Introduct,* I, p. 429 et SCHANZ, *Apol.* II[3], p. 682.).

[1] Paulo antea, a. 1578 jussu Sixti v Romae prodierat *Editio* (*sixtina*) LXX *interpretum,* cui praemittebatur Breve apostol. statuens: „Ut vetus graecum Testamentum juxta LXX. ita recognitum et expolitum, ab omnibus recipiatur et retineatur, quo potissimum ad latinae *vulgatae* et veterum ss. Patrum intellegentiam uterentur, prohibens ne quis de hac nova graeca editione audeat in posterum vel addendo vel demendo quidquam immutare." — Patres trid. adhuc desideraverant editionem *Bibliae hebraicae,* auctoritate s. Sedis expolitam. Sed huic desiderio satisfactum non est. — Qua ratione confecta fuerit *Vulgata clementina,* et quod omnibus numeris absoluta non sit, vide *Praefationem ad lectorem* (Bellarmini).

III. *Decreta trident.* ita habent. 129.

„Si quis libros ipsos [antea enumeratos] integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata editione latina habentur, pro sacris et canonicis non susceperit . . . a.s."

„Insuper s. Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat: statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat vel praesumat."

Incipimus a decreto secundo. — Missa interim quaestione de 130.
significatione juridica vocis *authentici*, tenor decreti est, quod ex omnibus versionibus latinis sola Vulgata eligitur tamquam *textus publicus* seu, ut hodie diceremus, *officialis* ecclesiae (utique occidentalis), qui proinde in omni *perfunctione publica magisterii ecclesiastici* adhiberi debeat, quin liceat in hujusmodi functionibus usum ejus quovis praetextu recusare, aliamve versionem latinam praeeligere[1].

Vides, decretum per se *disciplinare* esse, non dogmaticum; absolute loquendo nihil impedit, quominus ecclesia in posterum aliam versionem loco Vulgatae in authenticam eligat. Nihilominus decretum nostrum importat seu *supponit factum dogmaticum*[2]; nam legem suam statuendo concilium implicite quidem sed vere spopondit pro doctrina totius Vulgatae, quantum magisterii ecclesiastici interest, i. e. pro tota doctrina Vulgatae in materia fidei et morum.

Igitur factum dogmaticum, cui decretum innititur, primario est, *Vulgatam in nullo loco ita a textu primitivo discrepare, ut errorem in materia religionis doceat.* Verum quia universaliter injungere usum versionis orthodoxae quidem, sed substantialiter infidelis practice

[1] Utilitatem, imo moralem necessitatem hujusmodi dispositionis facile intelleges, si consideraveris a. 1515–1550 saltem 181 editiones variarum versionum sive integrae Scripturae, sive partium ejus prodiisse (HURTER, *Theol. Dogm. Comp.* I⁸, n° 178). — [2] Cfr. tract. *de Eccles.* n° 89.

idem esset ac corrumpere fontem revelationis, factum dogmaticum in quo lex tridentina fundatur, adhuc est: *editionem Vulgatam esse versionem saltem quoad substantiam fidelem.* — Contra, quum ex actis concilii abunde constet, patres tridentinos mendositatem Vulgatae editionis, qualem eam habebant, agnovisse [1], *certum est, eos pro absoluta,* seu omnimoda ejus *fidelitate non spopondisse.*

Vides, electionem Vulgatae in textum publicum ecclesiae ei reapse contulisse *authentiam* seu auctoritatem, qua per se ipsam, i. e. absque recursu ad textus originales fidem faciat. Verum haec authentia primario et proxime intellegenda est *dogmatica,* non critica; siquidem intentio concilii proprie non erat edicere: Vulgata *in omnibus et singulis* perfecte reddit Scripturam originalem, sed: Vulgata *in omnibus et singulis exhibet doctrinam vere et certo catholicam.*

131. Ratio, propter quam patres *Vulgatam* in authenticam elegerunt, et argumentum, quo iis de perfecta orthodoxia substantialique fidelitate hujus editionis constabat, ex ipso decreto elucet; „vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa ecclesia probata est". Siquidem vi infallibilitatis impossibile erat, ecclesiam romanam cum universo occidente per tot saecula adhibuisse versionem, praedictis characteribus orbatam.

132. IV. Restat quaestio, *quousque se extendat fidelitas,* seu confor-

[1] Cfr. THEINER, *Acta* I, p. 65, 70. Patres mendositatem Vulgatae in ipso *decreto* memorare noluerunt, ne fidelibus scandali, haereticis detractionis ansam praeberent (l. c.). Theologi in curia rom. exsistentes initio decretum Tridenti confectum minime probaverunt propter mendas, quas et ipsi cognoscebant; hinc tres Legati pontificii Tridento Romam scripserunt: „que tous s'étaient accordés à regarder la Vulgate comme la plus sûre, *parce que c'était la seule, à laquelle on n'ait pas eu, durant un si long temps, d'hérésie à reprocher,* quoiqu elle paraisse différer dans quelques endroits du text hébreu, que le style en soit bas et pas même toujours exempt de barbarismes et de solécismes" (Apud PALLAVICINI, *Hist. du Conc. de Trente,* VI, 17, 15). Addere juvat verba ANDREAE VEGA, qui theologus consiliarius concilio trid. interfuit: Concilium „eatenus voluit eam authenticam haberi, *ut certum omnibus esset, nullo eam foedatam esse errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide et moribus colligi posset,* atque ideo statuit, ne quis illam quovis praetextu rejicere auderet. Et hanc fuisse mentem synodi, *neque quidquam amplius statuere voluisse,* ex verbis ipsis et ex aliis consuetis approbationibus concilii potes colligere" (*De Justific.* XV, 9; apud CORNELY, l. c p. 446.). Et cfr. epist. card. Bellarmini ad Sirletum 1 Aprilis 1575 in *Rev. Bibl.* 1908, p. 103.

mitas cum originali „quoad substantiam", quam ex principiis theologicis Vulgatae tribuere debemus.

Jam attentius considerandum est primum decretum conc. trid. supra laudatum, quod certo certius *dogmaticum* est. Porro vi hujus decreti „pro sacris et canonicis" seu, quod idem est, pro inspiratis [1] habendi sunt „libri ipsi integri cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata editione latina habentur". Quum autem nemo contendat, ipsam Vulgatam inspiratione confectam esse, manifestum est, libros prout in Vulgata habentur non alio titulo, nec alia mensura inspiratos haberi posse, nisi *quia* et *in quantum* textui primigenio conformes sunt. Et ita praesens decretum ex obliquo quidem sed vere sancit fidelitatem Vulgatae. Quaeritur autem *quo gradu?*

Primo dicitur: „libri *ipsi*" i. e. antea enumerati; unde certissimum est nullum librum, quantumvis parvum contineri in Vulgata, qui inspiratus non est.

Deinde dicitur: „libri *integri*"; unde iterum certum est, singulos libros Vulgatae integre sive *per totum* exhibere singulos libros primigenios. Attamen terminus, „liber integer" per se in sensu latiori sumi potest. Nonne qui librum transscribendo, casu vel incuria duas vel tres sententias non praecise substantiales omittit, paucas glossas indoli et argumento libri non oppositas inconsulto adjicit, adhuc dici potest integrum librum transscripsisse? Porro in casu vox „integer" minus stricte, np. de substantiali tantum integritate sumi debet, uti patet tum ex mendositate Vulgatae, quam patres respiciebant, tum ex verbis adjectis: „cum omnibus suis partibus", cet. Superfluum enim fuisset haec adjicere, si patres vocem „integri" in sensu stricto accepissent.

Denique dicitur „cum *omnibus suis partibus, prout*", cet. Nomine **133.** „partis" non quamlibet vocem, quamlibet sententiam ad fidem moresque nihil pertinentem, intellegendam esse, omnes concedunt, et

---

[1] Cfr. *Conc. vatic.* Const. *De fide cath.* cp. 2. Ceterum quum conc. vatic. de *ambitu* inspirationis, Vulgataeque *authentia* nihil novi statuere, sed solam doctrinam tridentinam repetere voluerit, de solo decreto trident. verba facere sufficit (cfr. *Coll. lac.* VII, 123, 141, 1621).

probatur ex mendositate saepe memorata. Ceterum de vi hujus incisi controvertitur.

Ex actis concilii (quantum ea cognoscimus) constare videtur, incisum nostrum additum fuisse ad tuenda fragmenta deutera imprimis N. T., quae protestantes rejiciebant. Nihilominus patres ipsa fragmenta nominare noluerunt [1], sed elegerunt formulam generalem, quam intellegendam putamus hoc sensu: inspiratae habendae sunt singulae partes, de quarum usu constanti et universali in ecclesia constiterit; hujus autem usus testis non quidem unicus et per se solus peremptorius, sed tamen praecipuus est editio vulgata (in sensu n⁰ **128** sub **b.** exposito).

Censemus igitur, vi incisi „cum omnibus suis partibus, prout", cet. tenendam esse inspirationem tum *partium deuterocanonicarum N. T.* (quas concilium primario spectabat) tum *cujuslibet textus singularis, de cujus usu constanti et universali constiterit.*

Nihilominus aliter alii interpretantur: pauci quidam censent, incisum pro nulla parte *determinata* spondere sed solum indeterminate pro omnibus, de quarum usu, ut supra, constiterit [2]; nonnulli docent, incisum *solas partes deuteras*, nihil praeterea, tueri [3]; plures autumant, illud spectare *quemlibet textum singularem* (per se dogmaticum), de quo constat quod *fuerit in editione Vulgata* (i. e. omnibus aut fere omnibus ejus exemplaribus) [4].

134. V. *Corrollaria.* 1. Breviter indicare juvat, *qualis differentia* Vulgatam inter et textum primigenium salvis decretis tridentinis etiam *in locis per se dogmaticis* admitti possit [5].

---

[1] In congregatione generali 17 patres cupiebant, fragmenta evangelica in decreto exprimi; 34 id abnuebant; aliqui volebant hac de re postea speciale decretum confici; quod factum non est (Cfr. THEINER, *Acta*, I, p. 71—77). — [2] Ita v. g. Ant. v. Scholz apud PETERS, *Grundsätzl. Stellung*, p. 23. — [3] Ita v. g. FONCK: „Das Konzil erklärt alle inspirierten Bücher für heilig und kanonisch in der Form und Vollständigkeit, wie sei in der Kirche von alters im Gebrauche waren; es ist daher unstatthaft, ganze Bücher (libri ipsi), wesentliche Teile (integri) oder *die genannten* umstrittenen Partien (cum omnibus suis partibus) zu verwerfen" (*Der Kampf*, p. 44.) — [4] Ita FRANZELIN, *De Trad. et Script.* thes. 19, et qui eum sequuntur. — [5] Decretum valde rigorosum s. C. Conc. 17 Jan. 1576, quod a multis aestimabatur apocryphum, sed a. 1890 a cl. Batiffol inventum est, ex oraculo Pii pp. IX non sustinetur nisi in quantum vetat, ne quid asseratur repugnans Vulgatae in rebus fidei et morum (FRANZELIN, l. c., ed. 3. p. 563; *der Katholik*, 1896, II, p. 90).

a. Non excluditur, singularem aliquem textum, qui in originali habebatur, in Vulgata desiderari.

b. Non excluditur, textum Vulgatae a textu originali aliquando modaliter differre, i. e. idem quidem doctrinae caput in utroque inveniri, sed modo nonnihil diverso.

c. Non excluditur, singularem aliquem textum (doctrinam orthodoxam exhibentem) contineri in Vulgata, qui in originali non inveniebatur [1]. Argumentum ex tali textu desumptum, utique non esset scripturisticum, valeret tamen ut argumentum traditionale; factum enim quod hujusmodi sententia continetur in veteri et vulgata editione latina certo probat, eam esse vere catholicam.

135. 2. Ex praedictis patet, conc. trid. nullo modo Vulgatam praetulisse textibus originalibus, ne quidem secundum eam formam, qua tunc temporis habebantur; siquidem nihil prorsus de iis judicavit. Ecclesia de *substantiali* integritate textuum originalium (sicut et versionis LXX, cet.) non dubitat, quum eos ad recognitionem Vulgatae clementinae adhibuerit [2], neque eorum usum vel in ipsa materia doctrinali dissuadet aut inutilem existimat, sed omnino approbat: „Quamvis enim, ait LEO XIII, ad summum rei quod spectat, ex dictionibus Vulgatae hebraea et graeca bene eluceat sententia, attamen si quid ambigue, si quid minus accurate inibi elatum sit, inspectio praecedentis linguae, suasore Augustino, proficiet" [3]. Esto ad aedificationem doctrinae christianae Vulgatam (una cum traditione orali) sufficere; ad sensum Scripturae plenius et accuratius cognoscendum, ad ipsam doctrinam catholicam validius defendendam et penitius explicandam recursus ad textus primigenios et saepe utilissimus et nonnumquam necessarius est.

---

[1] Haec tertia assertio non admittitur ab iis, qui cum card. Franzelin sentiunt. [2] Cfr. *Praef. Lectorem.* — Id unum verum est, ecclesiam *non spondere* pro plena orthodoxia et substantiali integritate textus hebraei, nec mirum: nonne fere ab initio e publico usu ecclesiastico decidit? — [3] Enc. *Providentissimus* (*Allocut.* cet. V. p. 211).

CAPUT II

DE S. TRADITIONE [1]

136. Accedimus ad alterum christianae religionis fontem, *Traditionem* in sensu stricto, seu *oralem:* complexum scil. veritatum theoreticarum et practicarum a Christo et apostolis, ut erant organa revelationis, viva voce ecclesiae communicatarum et in finem usque saeculi conservandarum; traditio oralis objectiva [2].

Traditio, de qua agimus, ratione materiae vocatur dogmatica, ratione originis divina vel divino-apostolica. *Dogmatica*, quia veritates in ea contentae, sive practicae sint sive theoreticae, exsistunt objectum fidei divinae et catholicae; *divina* seu *divino-apostolica*, ut distinguatur a traditionibus tum ecclesiasticis, praeceptis scil. et usibus diu in ecclesia observatis, quae nonnisi post apostolos initium habuerunt, tum humano-apostolicis, quae ortum habent ab ipsis apostolis, non ut organis revelationis, sed ut erant primi ecclesiae pastores [3]. Observa tamen traditionem divinam nonnumquam venire nomine *ecclesiasticae* per oppositionem ad traditiones profanas, et *apostolicae* per oppositionem ad eas, quae sunt recentioris originis.

137. **Protestantes** omnes, profitendo perfectionem seu *sufficientiam* Scripturae, exsistentiam traditionis divinae in sensu catholico negant.

Concedunt quidem, et primitivas christianorum communitates fidem suam orali praedicatione ab apostolis eorumque cooperatoribus accepisse, et generationes proxime insequentes oralem traditionem, tunc adhuc facile dignoscibilem, maximi aestimasse, imo necessitatem Scripturae N. T. parum intellexisse. Concedunt adhuc, non omnia, quae Christus et apostoli fecere et docuere, in s. Scriptura fuisse consignata; verum contendunt: a. *in Scriptura*

---

[1] Cfr. C. SCHRADER. *De theologico testium fonte deque edito fidei testimonio seu traditione commentarius*, Paris, 1878; M. WINKLER, *Der Traditionsbegriff bis Tertullian*, Monachii, 1897; L. BILLOT, *De s. Traditione contra novam haeresim evolutionismi.* Romae, 1904, J. V. BAINVEL, *De magisterio vivo et traditione*, Paris, 1905 — [2] Cfr. supra n° 3. — [3] Cfr. tract. *De Eccles.* n° 33.

jam completa cuncta contineri, quae sunt ad salutem necessaria, et b. *reliqua,* quorum scientia ceteroquin historiae potius quam religionis interesset, post aliquod temporis *ita periisse, ut impossibile evaderet eorum originem apostolicam dignoscere.* Tunc igitur genuina traditio apostolica et s. Scriptura veluti in unam Scripturam confluxerant, et ita mox post aevum apostolicum Scriptura remansit *unicus fons revelationis christianae* [1].

Nihilominus plures protestantes non omnem traditionem rejiciunt. Profitentur doctrinam religiosam Scripturae etiam scriptis patrum, praxi et liturgia ecclesiae, viva christianarum generationum persuasione conservari; verum haec traditio a. non est nisi *inhaesiva* vel *declarativa Scripturae,* quia easdem veritates ac Scriptura continet, easque ad summum clarius et explicitius exhibet; praeterea b. tota quanta est in s. Scriptura fundatur atque ex ea profluit. Traditionem autem *distinctam a Scriptura* seu *constitutivam,* eam np. quae promit doctrinas in Scriptura non contentas, omnino respuunt.

Dogma catholicum his verbis definitur a conc. trid.: „Sacro- **138.**
sancta Synodus . . . perspiciens hanc veritatem et disciplinam [np. christianam] contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis Spiritu s. dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt, omnes libros tam V. quam N. Testamenti . . necnon traditiones ipsas, tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo vel a Spiritu s. dictatas et continua successione in ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit ac veneratur."

„Si quis libros ipsos [s. Scripturae] . . . non susceperit, et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit, a. s." [2]

Itaque indicatur: a. traditionum *origo:* apostoli eas acceperunt aut ipsius *Christi ore,* aut ex *dictatu Spiritus s.;* qui „dictatus"

[1] Cfr. v. g. BAVINCK, *Geref. Dogmatiek,* I, p. 401—415. — [2] S. 4; cfr. *Conc. vatic.,* const. *De fid. cath.,* cp. 2 et *conc. nicaenum II,* s. VII: „Omnia recipientes quaecumque s. atholica ecclesia antiquitus scripta et non scripta recepit."

non mechanice accipiendus est, sed complectitur omnes modos, quibus aliqua veritas a Deo hominibus revelari potest. Dicuntur autem acceptae „ab *ipsis* apostolis", per oppositionem ad apostolorum in pastoratu successores, quibus „Spiritus s. promissus est, non ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent" [1]. Porro veritates, quas apostoli dictante Spiritu s. acceperunt, non minus quam eae, quas ab ipso Christo audierunt, sub nomine doctrinae seu revelationis *christianae* comprehenduntur, tum quia sunt complementum eorum, quae Christus personaliter docuit, tum quia Christus dixit: „Spiritus veritatis . .. . non loquetur a seipso, sed quaecumque audiet loquetur . . . quia de meo accipiet et annuntiabit vobis" [2], **b.** Traditionum *conservatio:* „Ad nos usque pervenerunt . . . continua successione in ecclesia catholica conservatae". **c.** Traditionum *valor* seu dignitas: „pari [cum Scriptura] pietatis affectu ac reverentia suscipit." Etsi enim traditiones, quantum ad verba seu formam, quibus enuntiantur, infra Scripturam sunt, quantum ad materiam seu contentum Scripturae aequales exsistunt, utpote verbum Dei.

Traditio *definiri* potest: *complexus veritatum revelatarum, quas ecclesia per apostolos praeter Scripturam inspiratam accepit et continua successione conservat.*

39. Status quaestionis. Ut controversia cum protestantibus de traditione rite intellegatur, haec praenotamus.

1⁰ Quaestio proprie non est, num omnia quae scitu necessaria sunt ad salutem in Scriptura jam absoluta contineantur, sed *num magisterium ecclesiae revelationem christianam*, quam praedicare debet, *ex sola Scriptura hauriat*, vel haurire possit ac debeat.

Dico: „*magisterium* ecclesiae"; nam ex tract. *De Ecclesia* constat, praedicationem magisterii ecclesiastici pro tempore viventis esse regulam fidei proximam, ita ut Scriptura — missa quaestione, utrum sit revelationis fons unicus — saltem sit regula remota tantum.

Dico: „*revelationem christianam*, quam praedicare debet."

---

[1] Cfr. *Conc. vatic.*, const. *De Eccles.* cp. 4. — [2] *Jo* **16**, 13—14.

Revelatio christiana praeter ea quae necessaria sunt, sive ut singuli fideles vitam suam recte ordinare queant, sive ut ecclesia missionem suam rite exsequi possit, plura continet quae utilia tantum sunt. Porro nulla ratione probatur, Christum voluisse ut ecclesia ea tantum conservaret quae necessaria sunt; voluit ut *universam ejus doctrinam* speculativam et practicam fideliter custodiret: „Docete omnes gentes . . . . docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis" [1]. — „Paraclitus autem Spiritus s. vos docebit omnia, quaecumque dixero vobis". [2] — „Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem" [3]. — „Ego rogabo Patrem, et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis [4]".

Observa tamen „universam doctrinam Christi", in sensu supra exposito, i. e. inclusis iis, quae apostoli per Spiritum s. acceperunt, non coincidere cum omnibus sermonibus et gestis Christi et apostolorum; siquidem multi sermones et actus tum ipsius Domini, tum a fortiori apostolorum oblivioni tradi potuerunt, quin periret ulla *res* a Christo vel Spiritu s. *edocta, praecepta, instituta* [5].

Dato igitur, quod ea, quae ab omnibus explicite credi debent, in Scriptura continentur, minime sequitur reliqua historiae potius quam religionis interesse, nam **a.** plura ex iis necessaria sunt, ut ecclesia missionem suam rite exsequi possit; et **b.** quaecumque Christus revelavit, etiam mere utilia, tum ab ecclesia fideliter conservari, tum ab omnibus implicite, a cognoscentibus vero explicite credi debent.

140. 2^0 Quaestio num magisterium ecclesiae revelationem ex sola Scriptura hauriat, recidit in duas alias, priorem: *num ea, quae in*

---

[1] *Mt.* **28**, 20. — [2] *Jo.* **14**, 26 — [3] *Jo.* **16**, 12—13. Terminus *omnis veritas* non significat omnes omnino veritates cujuslibet speciei, sed totum complexum veritatum, quas Deus ecclesiae suae in terris revelare statuerat. Quum autem omnes illae veritates, etsi modo graduque diverso, ad salutem faciant, dici solet „omnem veritatem" significare *omnes veritates salutares* — [4] *Jo* **14**, 16. — [5] Hinc igitur vides, quo sensu admitti possit, quo sensu excludatur assertio protestantium: revelatio christiana quantitative, non qualitative uberior fuit quam doctrina ecclesiae!

Scriptura reapse continentur, a magisterio ecclesiae e sola Scriptura hauriantur seu cognoscantur; alteram: *num universa revelatio christiana in Scriptura contineatur*. Quaestio prior est de habitudine traditionis inhaesivae et declarativae (in sensu protestantium) ad Scripturam; altera est de exsistentia traditionis declarativae (prout a catholicis sumi solet) et constitutivae.

Sciendum etenim est, traditionem *declarativam* duplici modo intellegi posse. Traditio declarativa a *protestantibus* eatenus tantum admittitur, quatenus *modo* clariori et distinctiori proponit doctrinam, in Scriptura obscurius vel implicite, *formaliter* tamen, contentam; ita ut traditio declarativa secundum ipsos nihil contineat, quod stricte loquendo ex sola Scriptura cognosci et probari nequeat. *Catholici* vero nomine traditionis declarativae etiam, imo potissimum intellegunt eam, quae doctrinam Scripturae (i. e. omnium locorum ad rem pertinentium) in determinato negotio *objective* seu secundum materiam complet, plus aliquid veritatis de eadem re manifestando quam Scriptura; ita ut idem doctrinae caput, quod in Scriptura aut insinuatur tantum, aut nonnisi ex parte docetur, hac traditione cum certitudine atque ex integro cognoscatur.

Vides traditionem declarativam, qualis a protestantibus admittitur, stricte loquendo esse inhaesivam; quatenus vero Scripturam ipsa re excedit, quin exhibeat caput doctrinae ei omnino extraneum, de facto esse constitutivam. Hinc nihil prohibet distinctioni trifariae substituere *bifariam: inhaesivae* scil. et *constitutivae*.

141. Ad *quaestionem priorem*. Protestantes traditionem inhaesivam concipiunt omnino dependentem a Scriptura, utpote originatam ex ea: „fluit e Scriptura", proinde eam non habent ut fontem distinctum a Scriptura. Catholici Scripturam et traditionem inhaesivam concipiunt ut *duos fontes distinctos* earumdem veritatum. Siquidem non solum ponunt, ecclesiam primitivam eas veritates, quae clarius obscurius in Scriptura formaliter continentur, generatim duplici via a Christo et apostolis accepisse [1], tum primario orali praedicatione, tum secundario Scriptura inspirata; sed (quia ecclesiam in conservanda doctrina Christi infallibilitate donatam esse sciunt) statim adjiciunt,

[1] Dico „generatim", nam certum non est, apostolos *nullam* veritatem revelatam sola Scriptura ecclesiae tradidisse.

has veritates etiam a magisterio hodierno ex duplici fonte hauriri et duplici via cognosci, np. tum orali praedicatione apostolica tuto conservata, tum Scriptura inspirata. Fatentur utique ad tutam conservationem praedicationis apostolicae de facto multum, imo plurimum contulisse libros inspiratos (quemadmodum vice versa traditio plurimum contulit ad conservationem et intellegentiam Scripturarum); sed non concedunt traditionem inhaesivam ita dependere a Scriptura, ut praesens ejus cognitio ultimatim soli Scripturae tribuenda sit.

Ad *quaestionem alteram* id unum observandum venit, contro- **142.** versiam catholicos inter et protestantes hac in re minime coarctari ad illa doctrinae capita, de quibus Scriptura nihil habet. Haec enim paucissima sunt, ut videre est in quolibet theologiae compendio, ubi haud multas invenies theses, quae ita ex sola traditione probantur, ut ne quidem initium quoddam probationis ex s. Scriptura petatur.

Igitur controversia de Traditione duo complectitur: **a.** Num traditio habenda sit *fons distinctus* etiam pro iis veritatibus, quas Scriptura formaliter continet; et **b.** num traditio *Scripturam excedat*, sive ita ut de nonnullis rebus scriptis plus aliquid veritatis doceat quam Scriptura, sive etiam ita ut promat aliqua doctrinae capita, de quibus Scriptura omnino tacet.

His praemissis dicemus in *art. I* de exsistentia traditionis in sensu exposito; in *art. II* de mediis et documentis quibus traditio conservatur; in *art. III* de quibusdam monumentis traditionis in specie.

Art. I

De s. traditionis exsistentia

Prop. **Exsistit traditio, quae est fons revelationis distinc- 143.**
tus a Scriptura, Scripturamque excedens.

Dogma fidei est ex conciliis trid. supra laudato, et vatic [1]. — Pars prior prop. est de traditione generatim, ergo ad minus de

[1] Const. *De fid. cath.* cp. 2.

inhaesiva; pars altera diserte addit traditionem constitutivam.

Probatur. 1° Ex *s. Scriptura.* — a. Libri N. T. satis probant exsistentiam *traditionis in genere*, ostendendo libros scriptos non futuros esse unicum fontem revelationis. Ipse Christus in perpetuum instituit magisterium vivum, ab omnibus audiendum, quin verbulum adderet de libris conscribendis aut aliquando unice consulendis [1]. S. Paulus fideles remittit ad doctrinas oretenus traditas: „Laudo vos, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis praecepta mea tenetis [*καὶ καθὼς παρέδωκα ὑμῖν, τὰς παραδόσεις κατέχετε*" [2]. — „Itaque fratres state et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram". [3] Idem Paulus Timotheum episcopum monet, ut „depositum" custodiat, et formam servet „sanorum verborum", quae a magistro audierat; imo cum tempus resolutionis suae instare sentiret [4] eidem Timotheo injungit, doctrinam oretenus acceptam commendare hominibus fidelibus, ad alios edocendum idoneis: „O Thimothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt" [5]. — „Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti in fide et in dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi per Spiritum s., qui habitat in nobis" [4]. — „Et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere". [6] Atqui hinc primo probatur, tempore apostolorum oralem traditionem fuisse fontem fidei, eumque praecipuum; deinde conficitur, hanc oeconomiam etiam per generationem proxime insequentem perseverasse; denique merito concluditur, eamdem regulam perpetuo valituram; siquidem oeconomia ab apostolis observata et sancita de se perpetua est, et saltem nonnisi auctoritate apostolica immutari potuit. Porro apostolos hujusmodi mutationem ordinasse aut providisse nullatenus apparet.

144. b. Probata exsistentia traditionis, ut fontis distincti a Scriptura, quaeritur, utrum sit inhaesiva tantum an etiam constitutiva. Fatemur

[1] Cfr. *Mt.* **28**, 19—20; *Lc.* **16**, 15—16; *Act.* **1**, 8; **9**, 15. — [2] *I Cor*, **11**, 2. — [3] *II Thess.* **2**, 15; cfr. *Rom.* **16**, 17; *Philip.* **4**. 9; *Colos.* **2**, 7; *I Thess.* **4**, 1—2; *I Jo.* **2**, 21—24. — [4] *II Tim.* **4**, 6. — [5] *I Tim.* **6**, 20. — *II Tim.* **1**, 13, 14. — [6] L. c., **2**, 2.

exsistentiam *traditionis constitutivae* (post Scripturam completam) ex Scriptura positive et peremptorie non probari, Porro adversarii immerito exigerent probationem ex Scriptura; contra nos post praedicta summo jure a protestantibus exigere possumus, ut exclusionem traditionis constitutivae ex ipsa Scriptura comprobent. Hinc operae pretium est ostendere, *nec literam, nec indolem Scripturae* hac in re protestantibus favere. α. In libris N. T. nullibi dicitur vel insinuatur, totam fidem in Scriptura contineri aut aliquando contentum iri. β. Libri N. T. ab hagiographis absque communi deliberatione, per occasionem i. e. propter causas aut necessitates particulares compositi sunt, quin posteriores dici possint generatim scripti esse ad supplendos priores [1]. Omnibus consentientibus singuli libri integram doctrinam christianam non continent; igitur si omnes simul eam integre complectantur, id ex parte hagiographorum fortuito accidit. Num forte hujusmodi perfectio intenta fuit a Spiritu s., auctore principali omnium librorum? Responsio affirmativa fundamentum haberet, si libri sacri vere constituerent unum corpus organicum; nunc autem, quum hujusmodi unitas systematica desideretur, gratis omnino adstrueretur. — Sequitur, protestantes, qui nihil praeter Scripturam fide divina credendum esse statuunt, principium suum materiale, np. sufficientiam Scripturae, saltem absque testimonio divino admittere. Nec proficit confugere ad rationes philosophicas, ac si Deo indignum esset condere Scripturam, universam revelationem non continentem. Quare enim Deum dedeceret, necessitatibus ecclesiae suae providere partim Scripturā, partim traditione per assistentiam Spiritus S. tuto conservanda?

2° Ex *veterum testimoniis*. — **a.** Quoad *partem priorem*. Imprimis **145.** constat, primis ecclesiae saeculis neminem docuisse, oeconomiam doctrinalem, ab apostolis conditam, brevi post eorum decessum, immutatam fuisse. Contra antiquissimi patres, etsi quaestionem de unico vel duplici fonte revelationis ex professo non tractant, traditionem oralem

[1] Merito BAINVEL: Potius scripti sunt libri N. T. „ut ore tradita in memoriam revocarentur, ut magistri vivi absentia suppleretur, ut errores ingruentes falsique magistri refellerentur" (l. c., p. 23).

plurimi faciunt, eamque non minus quam Scripturam commendant.

S. CLEMENS ROM: „Apostoli nobis evangelii praedicatores facti sunt a Domino J. C.; Jesus Christus missus est a Deo. Itaque [apostoli] acceptis mandatis, cum certa Spiritus s. fiducia egressi sunt annuntiantes regni Dei adventum. Per regiones igitur et urbes verbum Dei praedicantes, constituerunt episcopos et diaconos eorum, qui crediturі erant. Ac deinceps ordinationem dederunt, ut cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent" [1]. De s. IGNATIO M. scribit Eusebius: „Cum per Asiam sub accuratissima satellitum custodia duceretur, singularum nihilominus civitatum, quas ingrederetur, ecclesias monebat imprimis ut sibi a pravis haereticorum opinionibus caverent, hortatusque est, ut apostolorum traditionibus tenaciter inhaererent, quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam testimonio suo confirmatas scriptis mandare necessarium duxit" [2]. Praeterea s. Ignatius insinuat, non veri christiani sed haeretici esse ad fidem exigere testimonium scriptum et de sensu Scripturae litigare. [3] PAPIAS HIERAP. (c. 150) in prooemio libri „*Dominicorum oraculorum interpretationis*" scripsit: „Nec haesitabo etiam ea [4], quae quondam a senioribus bene didici et bene memoriae mandavi, interpretationibus inserere, affirmans de illis veritatem. Sectabar eos qui verum docerent, qui mandata per dominum fidei tradita et ab ipsa veritate profecta memorarent. Quodsi quis advenit interdum, qui cum senioribus versatus fuisset, dicta seniorum exquirebam . . . Neque enim quae libri exhibent, tantam mihi utilitatem afferre existimabam, quantam ea quae viva voce et manente discimus" [5], Occasione haereseos gnosticorum HEGESIPPUS (c. 160) traditionem ecclesiarum exquisiturus, multos episcopos et denique episcopum romanum adiit; „in singulis autem episcoporum successionibus et per singulas urbes ita habetur, sicut Lex praedicat et Prophetae et Christus" [6].

---

[1] *Ep. I. ad Cor.* 42—44. HARNACK: „Letzlich wurzelt der ganze katholische Traditionsbegriff in jenem Satze, der bereits von Clemens rom. formulirt worden ist" (*Dohmengesch.* I[3], p. 154). — [2] *H. E.* III, 36. — [3] *Philad.* 8. — [4] *Gr.*: Καὶ ὅσα; praesumere licet, Papiam antea egisse de effatis Domini in Scriptura consignatis (FUNK, *Patr. apost.* I[2], p. 351). — [5] Fragm. 2; apud FUNK. l. c. — [6] Apud EUSEB. *H. E.* IV, 22.

Traditionem ut fontem distinctum, eumque praecipuum, apertissime agnoscunt s. Irenaeus et Tertullianus agendo contra gnosticos. **146.**

S. IRENAEUS: „Quum ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum ... Quum autem ad eam iterum traditionem quae est ab apostolis, quae per successiones presbyterorum in ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur traditioni dicentes, se non solum presbyteris, sed etiam apostolis exsistentes sapientiores". Nihilominus „traditionem apostolorum in toto orbe manifestatam, adest respicere omnibus, qui vera velint videre; et habemus adnumerare eos, qui ab apostolis constituti sunt episcopi in ecclesiis et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt neque cognoverunt, quale ab his [gnosticis] deliratur. Etenim si recondita scissent apostoli, quae seorsim et latenter ab reliquis perfectos docebant [1], his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas ecclesias committebant." Et subjungit sufficere ut exquiratur traditio ecclesiae romanae: „ad hanc enim ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam".... „Tantae igitur ostensiones [traditionis apostolicae] quum sint, non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab ecclesia sumere: quum apostoli quasi in depositorium dives plenissime in eam contulerint omnia quae sunt veritatis ... Et si de aliqua modica quaestione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus apostoli conversati sunt, et ab iis de praesenti quaestione sumere quod certum et re liquidum est? Quid autem, si neque apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant ecclesias?" [2]

TERTULLIANUS dicit, haereticos „non esse admittendos ad ullam de Scripturis disputationem" [3], sed traditione adversus eos esse praescribendum: „Dominus Jesus apostolos misit ad praedicandum... quid autem praedicaverint, et hic praescribam non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi apostoli condiderunt, ipsi iis praedicando tam viva, quod aiunt, voce, quam per epistolas **147.**

---

[1] Siquidem gnostici traditionem secretam invocabant. — [2] *Adv. Haer.* III, 2—4. — [3] *De Praescript.* 15.

postea. Si haec ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quae cum illis ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod ecclesiae ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a Deo accepit; reliquam vero omnem doctrinam de mendacio praejudicandam, quae sapiat contra veritatem ecclesiarum et apostolorum et Christi et Dei" [1]. Traditionem ecclesiarum a vero aberrasse impossibile habet, tum propter assistentiam Spiritus s., tum quia errando non conspirassent in unum: „Age nunc omnes erraverint... Neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius [Spiritus s.], sinens ecclesias aliter interim intellegere, quam ipse per apostolos praedicabat; ecquid verisimile est, ut tot ac tantae in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus est exitus: variasse debuerat error doctrinae ecclesiarum; ceterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum sed traditum" [2].

Hisce consentiunt graeci. ORIGENES: „Cum multi sint, qui se putant sentire quae Christi sunt, et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant, servetur ecclesiastica praedicatio, per successionis ordinem ab apostolis tradita et usque ad praesens in ecclesiis permanens. Illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione" [3].

S. GREGORIUS NYSS.: „Sufficit ad nostri sermonis demonstrationem, quod habeamus a patribus venientem ad nos traditionem, veluti haereditatem quamdam per successionem ab apostolis per sanctos sequentes transmissam" [4].

148. b. Quoad *partem alteram*. — De quaestione num traditio oralis Scripturam objective, i. e. secundum ipsas veritates contentas, excedat, *testimonia theoretica*, quantum scio, ante Tertullianum non exstant. Patres antiquissimi traditionem aperte agnoscunt ut fontem distinctum a Scriptura, eamque habent ut fontem majoris utilitatis practicae quam Scripturam, et ita nullo modo favent principio protestantico de sufficientia Scripturae [5]; sed quaestionem

---

[1] L. c., 21. — [2] L. c., 28 — [3] *De Princip.* praef. 2. — [4] *Orat. 3 c. Eunom.* — [5] Hinc scribit v. g. dr. BAVINCK: „Het lag voor de hand, dat men toen (in

praedictam theoretice non videntur tetigisse. Subsequentes eam non quidem ex professo discutiunt, sed data occasione tangunt.

TERTULLIANUS agendo de quaestione disciplinari (corona pro meritis militaribus a christiano non gestienda), dicit: „Quaeramus an et traditio, nisi scripta, non debeat recipi? Plane negabimus recipiendam, si nulla exempla praejudicent aliarum observationum, quae sine ullius Scripturae instrumento, solius traditionis titulo et exinde consuetudinis patrocinio vindicamus." Et enumeratis multis consuetudinibus christianis, concludit: „Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam leges. Traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, fides observatrix" [1]. Fatemur, Tertullianum non directe loqui de traditionibus (sive theoreticis sive practicis dogmaticis; verum quum inter exempla consuetudinum non-scriptarum etiam alleget: „Oblationes pro defunctis, pro natalitiis [martyrum] annua die facimus", oblatio autem sacrificii eucharistici pro defunctis atque in honorem martyrum certe involvat traditionem vere dogmaticam eamque non scriptam, merito concluditur, Tertullianum etiam agnovisse traditiones dogmaticas in Scriptura non contentas.

ORIGENES: „Ecclesia ab apostolis traditionem suscepit etiam parvulis baptismum dare" [2].

S. BASILIUS: „Ex asservatis in ecclesia dogmatibus et praedicationibus [institutis disciplinaribus] alia quidem habemus ex doctrina scripto tradita, alia vero nobis in mysterio tradita recèpimus ex traditione apostolorum, quorum utraque vim eamdem habent ad pietatem" [3]. Nec refert, quod s. Basilius statim subjiciat exempla traditionum disciplinarium [4], nam assertio principalis, quum diserte distinguat „dogmata" et „praedicationes" necessario de utrisque intellegi debet.

---

de eerste eeuwen) aan de traditie groot gewicht hechtte en de onmisbaarheid en noodzakelijkheid der apostolische geschriften nog niet inzag" (*Geref. Dogmatiek*, I, p. 405.)

[1] *De cor. mil.* 3—4. — [2] *In Ep. ad Rom.* I. v, n° 9. — [3] *De Spir. s.* c. 27, n° 66; cfr. c. 29. n° 71: „Plura arcana [τὰ πλεῖστα τῶν μυστικῶν] citra scriptum recepta sunt nobis". — [4] Ceterum „ipsam etiam olei unctionem" (np. chrismationem confirmationis) in exemplum adducit.

S. EPIPHANIUS: „Traditione quoque opus est: neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, traditione alia sanctissimi apostoli reliquerunt. Quod ipsum ita Paulus affirmet: „quemadmodum tradidi vobis." Item alio loco: „ita doceo et ita tradidi in ecclesiis." Item: „Si meministis, nisi frustra credidistis" [1].

149. S. CHRYSOSTOMUS, explicando verba s. Pauli: „State et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram", ait: „Hinc est perspicuum, quod non omnia [apostoli] tradiderunt per epistolam, sed multa etiam sine scriptis, et ea quoque sunt fide digna. Quamobrem ecclesiae quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio, nihil quaeras amplius" [2].

S. AUGUSTINUS tum pro valore baptismi ab haereticis collati, tum pro efficacia paedobaptismi ad traditionem apostolicam provocabat [3].

Porro cardo quaestionis, cui hoc loco unice intendimus, non est, num omnia, quae singuli patres ut traditiones apostolicas habuerunt, reapse ad traditionem apostolicam, imo divino-apostolicam pertineant, sed: num his testimoniis vere probetur, s. patres admissise *exsistentiam* aliquarum traditionum *dogmaticarum*, in Scriptura non contentarum.

150. Testimoniis theoreticis multum praevalet tum antiquitate tum manifesta universalitate *testimonium practicum* omnium patrum et totius ecclesiae etiam vetustissimae; ut enim de aliis quae afferri possent sileamus, quatuor evangelia et plures alii libri N. T. absque testimonio Scripturae, proinde ex sola traditione ab omnibus ut inspirati recepti sunt.

151. *Objiciuntur* plures textus quibus patres locutionibus sive affirmantibus, sive etiam excludentibus, plenitudinem et sufficientiam s. Scripturae commendant.

Quum singulos locos pertractare longum sit [4], principia ad solven-

---

[1] *Haer.* **61**, 6; cfr. **75**, 8. — [2] *Hom. 4 in II Thess.* n° 2; cfr. *Hom.* 3 *in II Tim.* — [3] Cfr. *De bapt.* II, 7, 12; IV, 24, 31; V, 23, 31; *De Gen. ad lit.* X, 23, 39.

[4] Plerosque habes v g. apud DE SAN, *De Trad. et Script.*, p. 66; cfr. FRANZELIN, *De Tradit. thes.* 19.

dam difficultatem subjicimus. **a.** Patres saepius intellegunt sufficientiam non absolutam sed relativam: Scripturam sufficere ad notitiam eorum, quae ab omnibus et singulis fidelibus explicite credenda sunt, vel ad causam particularem, in qua versabantur, dirimendam. **b.** Quando alia argumenta praeter Scripturam excludunt, aut ratiocinationes philosophicas, libros apocryphos, prophetias fictitias, traditiones falsas tantum spectant, aut si ipsam etiam traditionem ecclesiae excludunt, id nonnisi methodice faciunt, pro necessitate controversiae eligendo principium sibi et adversariis commune. **c.** Patres saltem intellegunt, Scripturam sufficere praesupposita praedicatione et interpretatione ecclesiae. Atqui longe aliud est, praedicare sufficientiam Scripturae secundum se solam, aliud asserere sufficientiam Scripturae e manibus ecclesiae acceptae et luce traditionis ecclesiasticae illustratae, imo foecundatae. Patres in Scripturis ita sumptis plura invenerunt, quae ex Scriptura nude et secundum se spectata haud satis constarent, sive quod indicationibus contenti erant, sive quod sensum spiritualem facilius admittebant. Reapse paucissima sunt, quae hac ratione ex Scriptura non colliguntur. Ceterum **d.** quis mirabitur patres, qui errorem protestanticum non noverant, Scripturam vero maxime venerabantur, ea aliquando dixisse, quae ad apicem literae exigenda non sunt; quibus applicare licet illud AUGUSTINI: „Disputans in ecclesia catholica, non se aliter intelligi arbitrabatur ... Vobis nondum litigantibus, securius loquebatur" [1].

ART. II

DE S. TRADITIONIS CONSERVATIONE

Traditio oralis, aiunt protestantes, corruptioni valde obnoxia est, hinc postquam morte apostolorum charisma veritatis cessaverat, sola Scriptura remansit fons fidus. — Igitur inquirendum est, qua **152.**

[1] *C. Julian.* I, 6, 22. Effata patrum hac in re non semper urgenda esse patet, v. g. exemplo *Vincentii lerin.*, qui dicit „canomen Scripturarum esse perfectum, sibique ad omnia satis superque sufficere" (*Common.* 2 et 29), et nihilominus in eodem opusculo tradit, valorem baptismi ab haereticis collati sola traditione defensum fuisse (*Comm.* 6). — Ipse cl. BAVINCK scribit, patres

ratione traditiones tuto conservari et ad nos usque propagari potuerint; in quo illud praecipuum est, morte apostolorum cessasse quidem charisma revelationes, minime vero charisma veritatis seu donum infallibilitatis. Ceterum conservatio traditionis immerito proponitur ut res perquam ardua; siquidem traditio non est concipienda ut longa indigestaque congeries propositionum memoria retinendarum, sed potius ut summa fidei vitaeque christianae, quae quotidiana professione, usu liturgico et disciplinari, ipsisque moribus christianis maxima parte continetur, et pro locorum ac temporum necessitatibus diversimode exprimitur atque in dies magis declaratur.

Porro quaerendo *media*, quibus traditio apostolica tuto conserservata fuit, simul quaerimus *criteria*, quorum ope genuinae traditiones ab adulterinis secernuntur.

153. PROP. I. **Medium seu organum princeps ad traditionem conservandam est continua successio magisterii apostolici.**

Continua successio magisterii apostolici in concreto nihil aliud est quam magisterium ecclesiae vivum et perenne.

En medium a Christo simpliciter volitum et immediate institutum. Ordinavit enim, ut collegium petro-apostolicum, cui munus et auctoritatem universam suam doctrinam praedicandi demandavit, in perpetuum continuaretur, et ita providit ut semper in ecclesia praesto esset corpus doctorum authenticorum, hierarchice conglutinatum: episcopatus romano-catholicus. Providit adhuc, ut magisterio perenni semper assisteret Spiritus s. removens ab errore, ducens in veritatem.

Medium hoc ex principiis catholicis praebet certitudinem absolutam de tuta conservatione totius depositi, ergo etiam traditionis. Constat ex iis, quae alibi de infallibilitate ecclesiae dicta sunt. Nihilominus operae pretium est in memoriam revocare, tum s. Irenaeum tum Tertullianum, qui traditionem ecclesiae ex professo

---

laudando plenitudinem Scripturae, nihilominus etiam traditionem agnovisse, imo in ea admisisse elementum cum sufficientia *Scripturae* in sensu protestantico incompossibile: „Daarnaast erkennen zij zeer zeker ook de traditie, maar zij hemen daarin juist een element op, dat de genoegzaamheid der Schrift ondermijnt en in de latere roomsche leer van de insufficientia s. Scripturae en van de sufficientia traditionis geëindigd is (*Geref. Dogm.* I, p. 409).

contra gnosticos urgebant, diserte provocasse ad assistentiam Spiritus s., successioni apostolicae conjunctam [1]. Immerito igitur protestantes dicunt, antiquos patres solam historicam, non dogmaticam auctoritatem traditionis agnovisse.

Sequitur, in quolibet casu particulari ad plenam solutionem theo- 154.
logicam quaestionis, num aliqua doctrina sit traditio divino-apostolica, sufficere ut ostendatur, hanc doctrinam ab episcopatu romano-catholico clare ac diserte ut fide divina credendam proponi [2]. Nec refert, quandonam hujusmodi clara propositio prodierit, utrum v. g. saec. quarto, an saec. decimo tertio tantum, nam charisma veritatis perpetuum est, sicut ipsum magisterium. Quo modo autem fieri possit, ut magisterium ecclesiae quaedam nonnisi post multa saecula *clare et distincte* credenda proponat, explicabitur in tract. *de Fide*, ubi sermo erit de profectu fidei christianae.

In eodem tractatu dicemus, quotuplici modo propositio clara et diserta per ecclesiam obtineat. Interim id unum addimus, sufficere propositionem ex-cathedralem solius romani pontificis, penes quem est tota plenitudo supremae jurisdictionis in universam ecclesiam [3]. Siquidem vi assistentiae Spiritus s. tum summo pontifici ut episcoporum capiti, tum corpori episcoporum capiti unitorum promissae impossibile est, ut major pars episcoporum in sententiam romani pontificis non conveniat. Rem jam satis indicaverat s. IRENAEUS: „Ad hanc enim [romanam] ecclesiam propter potentiorem ejus principalitatem necesse est, omnem convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles" [4].

---

[1] S. IRENAEUS: „Iis qui sunt in ecclesia presbyteris [episcopis] obaudire oportet, his qui successionem habent ab apostolis, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt" (*Adv. Haer.* IV, 26, 2, cfr. III, 24, 1). Tertullianum vide supra n°. 147.

[2] Dico: „ad plenam solutionem *theologicam*" aut, si mavis, dogmaticam. Aliud enim est quaestionem solvere ex principiis fidei, aliud eam solvere ex principiis historicis. — [3] Protestantes quidem hinc inferunt: ergo rom. pontifex est dominus traditionis, inventiones suas sub ementito nomine divinae traditionis, cunctis catholicis imponere potest! Minime; catholici credunt quaestiones de fide judicio ex-cathedrali summi pontificis definiri, *quia divinitus certi sunt*, pontificem ex cathedra loquentem in agnoscenda et explicanda veritate (sive scripta, sive non scripta) per assistentiam Spiritus s. ab omni errore praeservari. — [4] *Adv. Haer.* III, **3**, 2.

155. Porro praedicationi clarae et distinctae episcopatus romano-catholici necessario respondet communis fides ecclesiarum, quae est veluti vox ejus repercussa. Neque soli magisterio, sed universae ecclesiae praerogativa infallibilitatis promissa fuit, quamvis aliter atque aliter, nam ecclesiae infallibiles sunt in credendo quia et quatenus sequuntur magisterium infallibile in docendo [1].

Sequitur ipsam quoque communem fidem ecclesiarum esse criterium, derivatum quidem, sed tamen certum, imo infallibile genuinae traditionis [2].

156. **Scholion.** *De valore naturali magisterii catholici ad conservandam traditionem.* — Continua successio episcopatus catholici pro tuta conservatione traditionis *absolute* spondet, quia adjunctam habet promissionem infallibilitatis. Verum si organum illud a Christo institutum spectaretur *inadaequate*, i. e. secundum elementum externum tantum, facta praecisione ab assistentia Spiritus s., adhuc dicendum esset medium valde aptum et *moraliter tutum* ad conservandam traditionem. Etenim episcopatus catholicus **a.** semper longe maxima parte constabat viris aetate maturis, virtute ac doctrina conspicuis, qui instanti sollicitudine antiquum depositum tueri, innovationes perhorrescere solebant. Hi autem **b.** numquam partem sacrae doctrinae ut traditionem secretam tractarunt, sed omnia publice aperteque praedicabant, unde quaelibet immutatio fidem communem populi offendisset. Praeterea **c.** episcopi et ecclesiae unionem et communicationem tum inter se tum imprimis cum ecclesia romana semper sancte coluerunt [3], unde corruptio alicubi

---

[1] Cfr. *de Eccles.* n° **77.** — [2] Dico: „communem *fidem*", non quamlibet communem persuasionem. Num autem communis persuasio reapse sit fides divina, i. e. assensus propter auctoritatem Dei revelantis, facilius dignoscitur ex facto et modo praedicationis magisterii, quam ex ipso facto communis consensus populorum: unde etiam sub hoc respectu criterium clarae et instantis praedicationis criterio communis fidei ecclesiarum praevalet. — [3] Commercium illud etiam primis saeculis non defuisse testatur v. g. HARNACK: „Die Reisen hervorragender Christen lehren uns, wie lebendig der persönliche Austausch und Verkehr in den ersten Jahrhunderten gewesen ist. Dabei tritt die römische Gemeinde in überraschender Weise in den Vordergrund: sie ist der Zielpunkt der meisten Christen, die wir als Reisende kennen . . . Auch hier [beim brieflichen Verkehr] steht die römische Gemeinde im Vordergrund . . . In der Tat

irrepens diu latere non potuit, sed mature aut corrigebatur, aut excommunicatione puniebatur. Denique d. magisterio vivo numquam defuere varia subsidia connaturalia, de quibus statim. Qui haec omnia consideravit, difficulter negabit, consensum episcopatus catholici seu, quod in idem recidit, consensum ecclesiarum in aliquam doctrinam ut revelatam, etiam mere naturaliter spectatam, aut apostolicam originem hujus doctrinae cum morali certitudine probare, aut saltem creare validissimam praesumptionem in favorem hujusmodi originis.

Et adverte, ipsos jam antiquos patres aut signate aut saltem exercite consensum ecclesiarum ut certum criterium genuinae traditionis assignasse. S. IRENAEUS sectas dissentientes consensu ecclesiarum confundit: „Fidem ecclesia, in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, et similiter credit iis, quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter haec praedicat et docet et tradit quasi unum possidens os" [1]. — TERTULLIANUS impossibilitatem consensus in errorem urget: „Age nunc, omnes erraverint! . . . Nullus inter multos eventus unus est exitus: variasse debuerat error doctrinae ecclesiarum. Ceterum quod apud multos idem invenitur non est erratum sed traditum" [2].

PROP. 2. **Magisterio vivo ad traditionem conservandam egregie inserviunt varii generis monumenta antiquitatis.** 157.

Protestantes, quando dicunt traditionem oralem necessario corrumpi, non tantum charisma infallibilitatis negant, sed insuper supponere videntur, traditionem oralem in sensu catholico quodvis subsidium scriptum excludere. Immerito tamen. Superioribus saeculis magistri authentici ecclesiae doctrinam christianam non tantum viva voce praedicarunt, sed data occasione etiam scripto consignarunt. Idem fecere alii fideles, sive quod doctrinas ecclesiae

sind bis zur Zeit Konstantins, jedenfalls bis gegen die Mitte des 3 Jahrhunderts die centripetalen Strebungen stärker gewesen, als die centrifugalen, Rom aber war der Mittelpunkt jener Strebungen: die römische Gemeinde war *die* katholische; sie war nicht nur das Symbol und die Repräsentantin der Einheit, sondern ihr vor allem verdankt man die Einheit" (*Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten 3 Jahrhunderte*, p. 269—272). — [1] *Adv. Haer.* I, 10, 2. — [2] *De praescript.* 28.

scripto explicarent aut defenderent, sive quod instituta, caeremonias, mores christianos describerent. Neque solum charta et atramento sed etiam inscriptionibus, sculpturis, picturis fidem suam profitebantur. Ipsi denique haeretici, ceterique adversarii scriptis suis praedicationem ecclesiae nonnumquam delinearunt. Manifestum autem est, haec omnia, quatenus servabantur, magistris authenticis subsequentium generationum fuisse media haud spernenda ad traditiones ecclesiae facilius cognoscendas et propagandas [1].

158. Monumenta traditionis fere sunt: **a.** *Symbola et definitiones fidei;* **b.** *acta conciliorum et summorum pontificum;* **c.** *libri liturgici;* **d.** *acta martyrum;* **e.** *scripta ss. patrum et theologorum;* **f.** *documenta historiae ecclesiasticae;* **g.** *monumenta artis christianae.*

Haec autem media non fuerunt a Deo immediate ordinata, sed **a.** *connaturaliter* sequuntur exsistentiam ecclesiae ut societatis visibilis; nam in omni societate exculta hujusmodi documenta conduntur et a posteris consuluntur ad cohaerentiam cum praeteritis servandam. Potiora autem originem habuerunt ab iis, qui suo tempore magisterio ecclesiae fungebantur. Sunt **b.** *moraliter necessaria*, quia Deus, assistentiam Spiritus s. promittendo, ab adhibendis mediis naturalibus dispensare non voluit, sed potius providet ne illa aut desint aut negligantur [2]. Nihilominus **c.** *subsidiaria* tantum sunt, quia magisterio vivo subordinantur, sicut liber subordinatur magistro et documentum historiographo.

159. Scholion. *De valore theologico monumentorum traditionis in genere, necnon de canone vincentiano.*

1° Ex praedictis facile solvitur quaestio, quid monumenta antiquitatis, universim spectata, valeant ad discernendam veram tradi-

---

[1] Ipsa etiam *s. Scriptura* magisterio ecclesiae inservit, imo extra omnem lineam egregie inservit ad traditionem (inhaesivam et declarativam in utroque sensu) conservandam. Sed quum res manifesta sit et extra omnem controversiam posita, theologi hoc loco s. Scripturam memorare non solent, ne libros divinos cum documentis humanis in eodem censu habere videantur. — [2] Cfr. Tract. *De Eccles.* n° **99.**

tionem. Tantum valent, quantum probant aliquo tempore obtinuisse consensum moraliter unanimem magisterii ecclesiastici in aliquam doctrinam ut revelatam. Igitur argumentum peremptorium constituunt **a.** quoties exhibent solemne judicium magisterii infallibilis de doctrina revelata; **b.** quoties certo probant consensum moraliter universalem magisterii dispersi in doctrinam ut revelatam. Ad hunc autem effectum aliquando sufficere possunt documenta numero quidem pauciora, sed quae ex peculiaribus adjunctis universalis ecclesiae fidem repraesentare noscuntur.

Contra, quando monumenta relicta non sufficiunt ad consensum antiquitatis probandum, aut quando positive ostendunt, hujusmodi consensum olim non obtinuisse, non statim concludere fas est: ergo haec doctrina ad traditionem apostolicam non pertinet. Primum casum quod spectat, consensus etiam explicitus et clarus adesse potuit, quin per monumenta probetur, quum nec omnia scribantur, nec omnia scripta conserventur. Quoad alterum casum, sciendum est, non omnia quae in traditione apostolica formaliter continentur, semper *explicite ac diserte* praedicata fuisse in ecclesia; datur enim aliquis veri nominis profectus in cognitione et propositione revelationis christianae, uti ex professo dicemus in tract. *de Fide*. Porro plena explicatio eorum, quae obscurius aut implicite tantum in deposito revelationis continebantur, plerumque non sine controversiis, iisque nonnumquam satis diuturnis, contigit. In his igitur unicum criterium certum et fidum genuinae traditionis est consensus paulatim invalescens et denique perfecte sibi constans magisterii viventis, quippe cui Spiritus s. promissus es non tantum ad materialiter custodiendam, sed etiam ad explicandam traditionem. Monumenta autem antiquitatis in tantum prosunt, in quantum per ea ostenditur, arborem hodiernae professionis, colentibus et rigantibus ministris authenticis, ex semine antiquae fidei crevisse.

160. 2. Hinc etiam dijudicatur canon a s. Vincentio lerinensi (a. 434) statutus, quo multum abusi sunt adversarii, praesertim tempore conc. vatic.: „Magnopere curandum est, ut *id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est*, hoc est

enim vere proprieque catholicum" [1]. Intentio Vincentii erat, pro casu controversiae recens exortae, proinde nondum solemniter a magisterio diremptae, hominibus privatis tradere criterium ad veritatem discernendam.

Statuit autem haec: **a.** si pauci tantum dissentiunt, sequi debes consensum moraliter unanimem ecclesiarum in praesenti obtinentem: „*consensionem universitatis*"; quodsi **b.** jam plurimi dissentiunt (ita ut in praesenti non deprehendatur consensus moraliter unanimis), adhaerere oportet consensui, qui ante controversiam exsistebat: „*consensionem antiquitatis*" [2].

Porro haec regula, etsi applicatu nonnumquam difficilis, bona est et optima *in sensu affirmativo*: quando consensus in doctrinam, ut revelatam, aut exsistit aut antea exsistebat, omnino sequendus est. Sed *non* valet *in sensu exclusivo*: non repugnat dari doctrinam „vere proprieque catholicam", i. e. revelatam, de qua nec in praesenti exsistit nec olim exsistebat consensus explicitus. Ipse autem Vincentius canonem suum certe in sensu exclusivo non intellexit, quum in eodem opusculo manifeste profiteatur, imo multum extollat profectum fidei per distinctiorem et explicatiorem praedicationem antiquae veritatis.

Praeterea observandum est, Vincentium canonem suum etiam in sensu affirmanti non intellexisse de consensu absolute unanimi [3], multo minus eum tradidisse ut normam pro accipiendis vel rejiciendis judiciis doctrinalibus magisterii viventis; unde perperam ad eum provocant veteres-catholici.

Mirum quidem videri potest, quod Vincentius lectores suos non remittat ad judicium rom. pontificis. Sed primo recollige, eum spectasse statum controversiae recentis, de qua judicium solemne nondum prodiera. Deinde memento, tunc temporis doctrinam de

---

[1] *Common.* 2; cfr. W. Reilly, *Étude sur la règle de foi de s. Vincent de Lérins* (1902). — [2] „Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem [postea in recapitulatione explicat: „Diximus *universitatis* pariter et *antiquitatis consensionem* spectari oportere", c. 29]. Sequemur autem *universitatem* hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confi*tetur* ecclesia (c. 2). Quid si novella aliqua contagio totam pariter ecclesiam maculare conetur? Tunc item providebit ut *antiquitati* inhaereat, quae prorsus jam non potest ab ulla novitatis fraude seduci" (c. 3). — [3] Cfr. c. 2 et c. 28.

infallibilitate rom. pontificis theoretice plenam lucem nondum accepisse; nobis familiare est, pontificem spectare secundum se, ut distinctum (non separatum) a corpore episcoporum; veteres eum magis spectabant ut conjunctum cum corpore episcopali [1].

Art. III

De quibusdam monumentis traditionis in specie

Quum de singulis monumentorum speciebus dicere nequeamus, paucissima de symbolis fidei delibamus, deinde paulo fusius acturi de scriptis ss. patrum ac theologorum.

§ 1. De Symbolis fidei

Symbola fidei vocari solent breves quaedam summae veritatum fidei; nam si fusiores sunt jam non symbola, sed *professiones* fidei audiunt. Nomen symboli inde videtur explicandum, quod fideles hujusmodi formulâ, veluti quodam signo (*σύμβολον*), ab aliis dignoscebantur. **161.**

Tria dantur symbola, quae una cum catholicis etiam graeci et plerique protestantes agnoscunt: *apostolicum, nicaeno-constantinopolitanum, athanasianum.*

I *Symbolum apostolorum.* Certum est universam *doctrinam* in hoc symbolo contentam apostolicam esse, sed quaeritur de ipsa *formula* [2].

Testibus s. Ambrosio [3], Hieronymo [4], Rufino [5], Leone m. [6], circa a. 400 invaluerat opinio, symbolum baptismale, quod ecclesia

[1] Hinc Vincentius de s. Stephano s. Cypriano resistente scribit: „Tunc b. m. papa Stephanus apostolicae sedis antistes cum ceteris quidem collegis suis sed tamen prae ceteris restitit, dignum ut opinor existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret quantum loci auctoritate superabat" (c. 6). — [2] Cfr. Bardenhewer *Gesch. d. altk. Litt.*, I, 68; *Dict. de Théol. cath.*, I, p. 1660 seq.; Vacandard, *Études de critique*, cet. (1905), p. 3; *Ned. Kath. Stemmen*, (1905), p. 270 et 322. — [3] Ep. **42**, n° 5. — [4] *C. Joem. Jerosolym.* c. 98. — [5] *Comm. in Symbol.* n. 2—3. — [6] *Sermo 96*, c. I; *Ep 31 ad Pulch.* 4.

romana intemeratum custodiebat, et cui aliae ecclesiae occidentales quaedam adjiciebant, confectum esse ab apostolis. Rufinus id diserte repetit ex traditione majorum: „tradunt majores nostri" [1]; et ita loquitur ut facile inde oriri potuerit sententia, singulos apostolos singulas sententias contulisse [2].

Verum illi patres loquuntur non de textu recepto seu hodierno, sed de *textu antiquiore* hujus tenoris: „Credo in Deum Patrem omnipotentem; et in Christum Jesum unicum filium ejus, dominum nostrum; qui natus est de Spiritu s. et Maria virgine; crucifixus sub Pontio Pilato et sepultus; tertia die resurrexit a mortuis; ascendit ad coelos; sedet ad dexteram Patris; unde venturus est judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum Sanctum; sanctam ecclesiam; remissionem peccatorum; carnis resurrectionem".

162. *Textus receptus* seu gallicanus primum occurrit in sermone Caesarii arel. † 543 [3]; et ex communi eruditorum sententia ortum habet ex Gallia meridionali, saec. v; ecclesia romana eum recepit **saec. VII vel VIII.**

Porro *textus antiquior* (seu romanus) quoad substantiam (i. e. quoad structuram cunctosque articulos, exceptis forsan tribus ultimis [4]) certo ascendit ad medium saec. II; plures probabiliter existimant eum ad initium hujus saeculi, imo ad ipsam aetatem apostolicam ascendere; quod tamen deficientibus documentis positive probari nequit. — Hic textus romanus antiquior certo est archetypus omnium symbolorum occidentalium, probabiliter etiam orientalium.

Sententia autem, quae compositionem hujus formulae communi apostolorum consilio tribuit, hodie a multis criticis etiam catholicis rejicitur, tum quia veterum testimonio non satis probatur, tum

[1] L. c. — [2] Cfr. serm. pseudo-Augustini 240 (MIGNE, **39**, p. 2189). — [3] Sermo *de Symboli fide et bon. oper.* (inter spurios s. Augustini sermo 244, n. 1; l. c, p. 2195). ubi tamen adhuc desunt verba: ‚Creatorem coeli et terrae". Textus antiquior manifeste constat 12 articulis; in textu recepto jam s. Thomas 14 articulos distinguere maluit (*S. Th.* II, II, I, 8). — [4] Nonnulli symbolum, quo ecclesia rom. circa a, 150 utebatur, ita reconstruendum putant: *Πιστεύω εἰς ἕνα θεὸν πατέρα παντοκράτορα, καί εἰς Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν κύριον ἡμῶν, τόν γεννηθέντα ἐκ παρθένου, τὸν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου σταυρωθέντα, τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστάντα ἐκ νεκρῶν, ἀναβάντα εἰς τοὺς οὐρανούς, καθήμενον ἐν δεξίᾳ τοῦ πατρός, ὅθεν ἔρχεται κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρους, καί εἰς τὸ πνεῦμα ἅγιον.*

imprimis quia antiquae ecclesiae orientales uniformis symboli vestigia non exhibent. Verum totius formulae nodus, professio scil. baptizandi in „Deum, Patrem, Filium, Spiritum s.," merito habetur apostolicus.

Quidquid autem de origine formulae judicaveris, auctoritas symboli irrefragabilis est ex approbatione et usu longaevo universalis ecclesiae.

II. *Symbolum nicaeno-constantinopolitanum.* Fundamentum hujus **163.** symboli est textus antiquus symboli apostolici, quem **a.** patres nicaeni (a. 325) auxerunt ad consubstantialitatem Verbi distinctius exprimendam [1]. Postea **b.** patres constantinop. (a. 381) symbolum nicaeno simillimum, sed in quo divinitas Spiritus s. enucleatius asserebatur [2], pauca immutando receperunt [3]. Saltem a saec. VI universalis ecclesia illud approbavit.

Hoc symbolum saec. VI in oriente adhiberi coepit in missa; idem mox (a. 589) accidit in Hispania, ubi verbis: „qui ex Patre procedit" interjectum est „Filioque"; dehinc saec. VIII in Gallia et Germania. Ecclesia romana hunc usum, vocemque „Filioque" non nisi sub Benedicto VIII (1012—1024) recepit.

III. *Symbolum athanasianum* [4], seu „ *Quicumque*", in formam **164.** psalmi compositum, in quo mysteria trinitatis et incarnationis accuratius exponuntur.

Eruditis exploratum est, symbolum hoc nec a s. Athanasio conscriptum, nec omnino graecae originis esse; graeci illud tarde admodum cognoverunt. Compositum videtur saec. v in Gallia, et quidem in regione arelatensi. Nuper Künstle ostendere conatur, illud esse expositionem verae fidei contra haeresim Priscilliani.

„Fides Athanasii", ita enim olim appellabatur, a fine saec. VIII in officio divino adhiberi coepit, saec. x nomen symboli accepit, et saltem a saec. XIII in universa ecclesia ut regula fidei irrefragabilis habetur.

---

[1] Cfr. HEFELE, *Conciliengesch.* I², p. 314. — [2] Exstat apud s. EPIPHANIUM, *Anchoratus* c. 121. — [3] HEFELE, l. c., II², p. 10. — [4] Cfr. VACANT—MANGENOT, *Dict. de Théol. cath.*, I, p. 2178; K. KÜNSTLE, *Antipriscilliana* (1905).

165. IV. Ex *professionibus* fidei praecipuae sunt: **a.** professio *tridentina* a Pio IV praescripta, cui Pius IX post conc. vatic. quaedam adjecit; **b.** professio *Graecis* praescripta a Gregorio XIII. **c.** professio *Orientalibus* praescripta ab Urbano VIII et Benedicto XIV; quas invenies apud Denzinger; **d.** professio fidei et jusjurandum, *centra modernistar*, a Pio X praescripta [1].

§. 2. De Scriptis ss. Patrum

166. I. **Notio Patrum.** Nomen *Patres* in sensu lato designat omnes viros ecclesiasticos, qui superioribus saeculis doctrinam catholicam scripto tradiderunt, illustrarunt, defenderunt. Et ita comprehendit tum patres proprie dictos, tum doctores ecclesiae, tum eos qui scriptores ecclesiastici audire solent.

1. *Patres ecclesiae* in sensu stricto vocantur illi, qui *orthodoxia, sanctitate, antiquitate* conspicui, ut tales ab ecclesia *agniti* sunt.

Orthodoxiam non tollunt aliqui errores in rebus tunc nondum eliquatis, dummodo mentem catholicam habuerint et generatim doctrinam christianam recte tradiderint. Vitae *sanctitas* specialem illustrationem Spiritus s. meretur, et efficit ut non verbis tantum sed etiam exemplis ecclesiam aedificarint. Judicium tum de sanitate doctrinae, tum de sanctitate ultimo ad ecclesiam pertinet; hinc nemo testis qualificatus ac veluti authenticus traditionis catholicae haberi debet, quem ecclesia ut talem non *agnoscit*. Agnitio autem diversimode habetur, v. g. quando a conciliis aut summo pontifice ut patres allegantur, quando in *martyrologio rom.* laudantur ut „sanctitate et doctrina insignes", quando iis suffragatur consensus practicus ecclesiae. Denique usus habet, ut ii tantum patres ecclesiae dicantur, qui *antiquitatis* christianae testes exsistunt. Limites antiquitatis non ita fixi sunt, extendi solent pro ecclesia graeca usque ad *s. Joannem Damascenum* († 754), pro ecclesia latina usque ad *s. Gregorium m.* († 604), vel melius usque ad s. Isidorum hispalensem († 636).

Quodsi nomen „Patris" in sensu paulo latiori adhibetur per

[1] *Enchir.* nº 994, 998, 1459, 2145.

oppositionem ad theologos Scholae, non immerito s. Bernardus „ultimus inter patres" salutatur.

Plerique Patres episcopi fuerunt, non tamen omnes; s. Ephrem syrus († 373) diaconus fuit; s. Justinus m. († c. 165) et s. Prosper aquitan. (463) laici.

167. 2. *Doctores ecclesiae* vocantur illi, qui *orthodoxia, eruditione, sanctitate* conspicui, ab ecclesia *hoc titulo decorati* sunt.

Quum munus doctoris directius spectet explicationem doctrinae quam solum testimonium, in doctoribus non attenditur aetas sed requiritur *excellens quaedam eruditio*, utique theologica. Titulus autem doctoris, saltem recentioribus saeculis, expresse confertur, sive per constitutionem pontificiam, sive per *officium Doctorum* in eorum festis pro universali ecclesia concessum, cet.

Magni doctores ecclesiae *latinae* vocari solent s. Ambrosius († 397), s. Hieronymus († 420), s. Augustinus († 430), s. Gregorius m. († 604)[1].

Oecumenici magni doctores in libris liturgicis *graecorum* memorantur tres: s. Basilius († 379), s. Gregorius naz. († 390), s. Joannes Chrysostomus († 407).

Reliqui *doctores* sunt: ss. Hilarius pictav. († 366), Athanasius († 373), Cyrillus hieros. († 386), Cyrillus alex. († 444), Petrus chrysologus († 450), Leo m. († 461), Isidorus hispal. († 636), Beda „venerabilis" († 735), Joannes damasc. († 754), Petrus Damiani († 1072), Anselmus cantuar. († 1109), Bernardus († 1153), Thomas aquin. († 1274), Bonaventura († 1274), Franciscus sales. († 1622), Alphonsus de Liguorio († 1787).

168. 3. *Scriptores ecclesiastici* in sensu specifico vocanter illi, qui olim *scriptis suis ecclesiam egregie illustrarunt*, sed inter sanctos non numerantur vel etiam ab ecclesia defecerunt; verbo omnes quos ecclesia ut testes authenticos suae traditionis non agnoscit. — Tales sunt v. g. Tatianus, Athenagoras, Minutius Felix (circa

[1] Hos Bonifacius VIII a. 1298 „egregios ipsius doctores ecclesiae" laudat (Decretale: *Gloriosus*, l. III, t. 22, cp. un. in Sexto).

finem saec. II), Tertullianus († p. 220), Clemens alex. († a. 215), Origenes († 254), Arnobius († p. 304), Lactantius († c. 320), Eusebius caes. († c. 320), Rufinus († 410), Theodoretus († 458), *vulg.* Dionysius-Areop. (c. 500). cet. [1].

169. II. **Auctoritas Patrum.** In praesenti nomen „patrum" sumimus in sensu lato, ita tamen ut veri patres ac doctores plus valeant quam scriptores ecclesiastici, et in specie ii, qui ab ecclesia defecerunt, non considerentur, nisi in quantum veris patribus consentiunt.

PROP. **Consensus unanimis patrum in aliquam doctrinam ut revelatam, est certum argumentum traditionis divinae.**

Consensus debet esse moraliter unanimis. Verum de tali consensu etiam indirecte constare potest, v. g. **a.** quando conveniunt *omnes patres posteriores*, ii np. qui vixerunt postquam aliqua doctrina impugnari aut distinctius tractari coepit; **b.** quando *plures* patres *aetate et patria diversi* conveniunt, aliis non reclamantibus; **c.** quando *pauci* patres rem defendunt *in iis adjunctis*, ut appareat eos veluti personam totius ecclesiae sustinere, quemadmodum contigit Augustino contra pelagianos, Sophronio contra monotheletas.

Consensus debet esse in rem *ut revelatam*; quod patres non tantum diserte, sed etiam aequivalenter affirmare possunt, v. g. quando utuntur formula „credimus cum catholica ecclesia", quando doctrinam inculcant ut ab omnibus firmiter credendam, contrarium aperte haereticum vocant, cet. Dummodo autem rem unanimiter proponant ut fide tenendam, nihil refert utrum solo fere testium munere fungantur, an simul munere doctorum, declarando quinam sit genuinus sensus antiquae traditionis. Tunc enim etiam docendo seu explicando sunt os ecclesiae et hac de causa dici possunt agere ut doctores authentici. Contra quando inquirendo, opinando, dubitando procedunt, manifestum est, quod loquuntur tamquam doctores privati.

---

[1] Cfr. de his omnibus auctores patrologicos, v. g. FESSLER-JUNGMANN, *Instit. patrolog.*, 1890 seq.; BARDENHEWER, *Geschichte d. altkirch. Litter.* 1902 seq. et *Patrologie*[2], 1901; BAUFFOL, *La Littérature grecque* [8], 1901; RÄUSCHEN, *Grundriss der Patrologie*, 1903; KIHN, *Patrologie*, 1904 seq.

Propositio *certa* est, imo ex parte definita in iis, quae habent conc. trid. et vatic. de interpretatione Scripturae [1].

Probatur. — 1° Ex *persuasione et praxi infallibilis ecclesiae,* **170.** quae semper professa est, doctrinam patrum esse doctrinam suam, et quoties controversiae dirimendae erant, patres adiit. Cujus rei argumentum historicum praebent etiam ipsi patres ac doctores, qui, dum vivebant, semper praecedentium patrum doctrinae inhaerendum esse docuerunt [2].

2° *Ratione theologica.* Consensus patrum exhibet consensum ipsius magisterii ecclesiastici; siquidem vivi fuerunt os ecclesiae, plerique enim magisterio authentico fungebantur, reliqui saltem in facie ecclesiae et probante ecclesia scripserunt; defuncti ab ecclesia agnoscuntur ut testes qualificati catholicae traditionis.

Objici solet, patres antenicaenos conspirasse in errorem chilias- **171.** mi (subtilioris) atque in subordinatianismum. — Perperam tamen. **a.** Chiliasmus multis quidem placuit, non vero moraliter omnibus; praeterea praecipui ejus assertores hanc doctrinam non proponebant ut certa fide ab omnibus credendam: s. JUSTINUS: „Tibi et antea confessus sum, me quidem et multos alios ita sentire, multos vero etiam christianorum, qui purae et piae sententiae sunt, hoc non agnoscere tibi significavi" [3]. — **b.** Verum non est patres antenicaenos sive omnes sive multos subordinatianos fuisse, etsi quidam, substantiam dogmatis tenentes, in accessoriis a vero nonnihil aberrarunt et praesertim in modo loquendi minus limati fuerunt. Plura in tract. *de Deo trino.*

In thesi locuti sumus de auctoritate *theologica* patrum consentientium; verum etiam mere historice consensus patrum, praesertim si non indirecte et illative, sed directe constat, criterium moraliter certum veritatis habendus est [4].

Corollaria. 1° Si s. patres doctrinam aliquam ratione materiae **172.**

[1] Cfr. supra n° **108.** — [2] Harum rerum exempla aliquot habes v. g. apud PESCH, *Praelect.* I, n° 576 seq. — [3] *Dial. c. Tryph.* n° 80; cfr. DE SAN, *De Tradit.* p. 183 seq., ubi etiam de patribus, qui visionem beatificam usque ad judicium universale dilatandam esse censuerunt (p. 194). — [4] Cfr. s AUGUST. *C. Jul.* II, 10, 37.

ad res fidei morumve pertinentem, communi consensu defendunt et ut *veram* ac *tenendam* inculcant, quin satis appareat, utrum eam revelatam dicant, eorum consensus haberi debet ut certum criterium *veritatis saltem theologicae*, etsi forte non revelatae [1].

2° *Unius aut paucorum patrum* auctoritas etiam in re stricte theologica non est peremptoria, nec enim singuli infallibiles fuere, nec quisquam eorum talem approbationem ab ecclesia nactus est, ut singula ejus asserta retinenda sint. De facto vix ullum invenies, qui saltem in rebus minus praecipuis aliquando non erravit [2]. Quodsi aliqui ita locuti sunt, ut ex adjunctis personam totius ecclesiae sustinuisse dicendi sint, quoad summam quidem doctrinae in hac materia omnino sequendi sunt, sed quaestionibus incidentibus profundiorique explicationi applicantur verba COELESTINI PP I: „Profundiores difficilioresque partes incidentium quaestionum, quas latius pertractarunt qui haereticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere" [3].

Nihilominus in rebus fidei et morum vel singulorum patrum auctoritas magni aestimanda est, et eo majoris, quo magis eruditione, sanctitate, antiquitate, imprimis vero approbatione et commendatione ecclesiae eminent.

173. 3° De *interpretatione* patrum haec. **a.** Quum ex principiis theologicis repugnet, alia aetate alium in materia fidei obtinere consensum, id autem quod theologice repugnat critice verum esse nequeat, imprimis excluditur omnis interpretatio, qua cuncti aut plerique patres antiquiores in re fidei aut morum posterioribus patribus adversari dicerentur. — **b.** Etiam apud singulos patres aut doctores non admittendus est veri nominis error in iis, quae vel statim ab initio vel saltem respectivo tempore in explicita

---

[1] Cfr. tract. *de Eccles.* n° 85 et 87 et imprimis tract. *de Fide*, art. *de veritatibus theologicis*. — [2] Hinc s. AUGUSTINUS: „Non accipio quod de baptizandis haereticis b. Cyprianus sensit, quia hoc ecclesia non accipit, pro qua b. Cyprianus sanguinem fudit" (*De bapt.* II, 3.); s THOMAS: „Magis standum est auctoritati ecclesiae, quam auctoritati vel Augustini vel Hieronymi vel cujuscumque doctoris, quia et ipsa doctrina catholicorum doctorum ab ecclesia auctoritatem habet (*S. Th.* II, II, 10, 12)". Hinc etiam notari potuit prop.: „Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam pontificis bullam". DENZ n° 1320. — [3] *Ep. 21 ad Episc. Galliae*; DENZ, n° 142.

praedicatione ecclesiae jam fuerunt. Quomodo enim ecclesia ut testem suae traditionis agnovisset virum, qui doctrinae haereticae adhaesissit? Attamen, salvo intellectu substantiali dogmatis, admitti possunt conceptus confusi, explicationes scientificae minus rectae, minusve cohaerentes, et imprimis modus loquendi minus limatus, minus cautus, quo haeresi postea exortae favere nonnumquam videntur. — **c**. In iis quae respectivo tempore nondum fuerunt in clara et explicita fide ecclesiae, longe facilius admitti potest singulorum patrum error. Verum quum ex principiis catholicis posterior consensus oriri non potuisset, nisi apud priores fuissent semina ac veluti anticipationes quaedam ejusdem doctrinae, rationi consentaneum est, textus ambiguos aut indeterminatos antiquiorum collustrare lumine subsequentis consensus. — **d**. Etiam apud s. patres, nonnullos praesertim, habenda est ratio emphasis sive rethoricae sive polemicae, ita ut genuina eorum sententia aliquando non ex solis verbis, sed etiam ex adjunctis: personis quas alloquuntur, errore quem impugnant, aliis locis clarioribus, cet. comparanda sit.

Inferes, interpretationem patrum vere scientificam non solis philologiae legibus regi; et eos „criticos", qui lumen ex communi persuasione ecclesiae coaevae imo et posterioris affulgens neglegunt, saepius periclitari ne literae nimis inhaerendo mentem auctoris non capiant. Ab alia parte tum veritatis jura tum scientiae suae honorem laedunt illi „theologi", qui, defectibus humanis et obscuritatibus quaestionum nondum eliquatarum non satis attendendo, quaelibet s. patrum effata difficilia per fas et nefas salvare conantur.

4⁰ In *rebus mere profanis* s. patres specialem auctoritatem non habent; unde in hujusmodi quaestionibus non obstante quocumque consensu applicatur conclusio CANI: „Sanctorum auctoritas sive paucorum sive plurium, cum ad eas facultates affertur, quae naturali lumine continentur, certa argumenta non suppeditat, sed tantum pollet quantum ratio naturae consentanea persuaserit" [1]. **174.**

Scholion. *De auctoritate Theologorum.* — Nomine „theologorum" intellegimus eos, qui post s. patres et imprimis a saec. **175.**

[1] *De locis*, VII, 3.

XII sub praesidio episcopatus romano-catholici sacram doctrinam pressiori methodo excoluerunt. Pressiori methodo; nam theologi „magnae molis opus aggressi sunt, segetes doctrinae foecundas et uberes, amplissimis s. patrum voluminibus diffusas, diligenter congerere, digestasque uno velut loco condere in posterorum usum et commoditatem" [1]. Praeterea magis quam s. patres, revelatam doctrinam rationibus philosophicis illustrare, suadere, defendere studuerunt. Theologi in munere testium revelationis locum s. patrum exceperunt, licet non aequali authentia; nam primo s. patres longe plerique erant episcopi, theologi non ita; deinde ecclesia, quae patres et doctores etiam singulos approbavit saltem approbatione generica, jam non singulos theologos, sed potius theologorum scholas tamquam testes suae traditionis agnoscit.

Porro *consensus unanimis et constans theologorum in aliquam doctrinam, ut revelatam, est certum criterium traditionis divinae.* Constat **a.** *auctoritate* PII IX: „Subjectio, quae fidei divinae actu est praestanda", non limitatur ad ea quae solemniter definita sunt, sed „ad ea quoque extendenda [est], quae ordinario totius ecclesiae, per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur" [2]. **b.** *Ratione theologica* (quam verba Pii IX innuunt). Etenim ita arctus est nexus inter scholas theologorum et ecclesiae magisterium, ut ea quae theologi moraliter universi, idque non per breve aliquod tempus sed diu ut certa fide credenda proponunt, non possint non coincidere cum iis quae magisterium ordinarium et universale praedicat. Nonne episcopatus catholicus officio suo manifeste deesset, si errorem in fide per scholas catholicas invalescentem et praevalentem dissimularet? Nonne error, diuturno pastorum silentio tacite approbatus, universam ecclesiam macularet? Ceterum undenam tot viri sinceri ac periti constanter in unum conspirarent, nisi quia aut apertam praedicationem quotidianam aut saltem sensum ecclesiae, „spiritum catholicum" sequuntur.

---

[1] Enc. *Aeterni patris*, in *Alloc. cet. Leonis XIII*, t. I, p. 98. — [2] *Ep. ad archiep. monac.* 1863, DENZ. n° 1683.

Ubi theologi eodem quo supra consensu doctrinam, ratione materiae ad fidem moresque pertinentem, proponunt ut *veram et ab omnibus tenendam*, quin eam revelatam dicant, habes criterium fidum veritatis *theologicae*. Cave tamen, ne hujusmodi consensum exploratum ac firmum confundas cum consensu *opinativo*, i. e. in opinionem qua talem, qui ceteroquin frequens non est, et ipsa inconstantia discernitur. **176.**

TRACTATUS

DE FIDE DIVINA[1]

177. In tractatibus praecedentibus actum est de principiis objectivis sacrae doctrinae: de Revelatione in Christo facta, de Ecclesia, cui officium incumbit coelestem doctrinam conservandi et praedicandi, de Scriptura et Traditione, ex quibus ecclesia praedicationem suam haurit. Restat ut theologiam fundamentalem absolvamus disserendo de principio subjectivo, de actu scil. quo singuli homines veritatem, in Christo revelatam et per ecclesiam ex Scriptura et traditione propositam, suscipere debent. Actus hic est assensus fidei divinae, quae simpliciter *fides* appellari solet.

Post brevem introductionem dicemus in *cap. I* de fidei objecto, in *cap. II* de fidei actu. Adjungemus brevem *appendicem*: de habitudine fidei et rationis.

INTRODUCTIO

De notione et divisione fidei

178. I. Nomen *fidei* diversimode adhibetur, et ita quidem ut nostris praesertim diebus non immerito „nidus aequivocationum" dictum sit [2].

[1] Speciales de hac materio libros ediderunt e. g. H. BROUWER, *De fide divina*, Lovan. 1880; MÉRIT, *La Foi, sa nature*, cet., Paris. 1886; E. APPEL, *Der Göttliche Glaube*, Bambergae, 1890; J. NIENHAUS, *De actu fidei divinae*, Monast, 1891; J. BAINVEL, *La foi et l'acte de foi*, Paris., 1898; G. WILMERS, *De fide divina*, Ratisbonae, 1902; Mgr. TURINAZ, *La foi catholique*, Paris, 1905; A. MICHEL, *Quinze leçons sur la foi chrétienne*, Paris, 1905; V. CATHREIN, *Glauben und Wissen*, Frib. 1903. Praeterea consulantur SUAREZ, card. DE LUGO, SALMANTICENSES, *De fide*, necnon L. BILLOT, *De virtutibus infusis*, Romae 1901 S. SCHIFFINI, *De virtutibus infusis*, Friburgi, 1904. — [2] GAUDEAU: „Toute notion générique de la foi est forcément un nid d'équivoques" (*Le Besoin de croire*, cet. (1899) p. 18.

1° Nonnumquam proxime refertur ad *voluntatem* et ita designat: **178.**

a. *Fidelitatem*, seu constantem voluntatem implendi promissa, et ipsam etiam *promissionem*. „Numquid incredulitas eorum fidem Dei evacuabit" [1]? — „Quia primam fidem [servandi continentiam] irritam fecerunt" [2].

b. *Fiduciam* ex alterius potentia et bonitate aut fidelitate conceptam. Ita v. g. verba Domini: „Modicae fidei, quare dubitasti" [3] proxime (non unice) defectum fiduciae arguunt. Hanc significationem urgent protestantes quando dicunt, fidem quae justificat, potissimum esse „fidem promissionum", qua np. homo certo confidit non tantum aliis sed etiam sibi remissionem peccatorum, aeternam justitiam et salutem a Deo dari propter merita Christi [4].

2° Plerumque nomen fidei directe refertur ad *intellectum* et **179.** sumitur:

a. Pro *omni assensu* in unam partem determinato, praesertim ubi agitur de *re obscuriori*. Hinc explicatur illud s. PAULI: „Omne quod non est ex fide [dictamine conscientiae] peccatum est" [5]. Item pro assensu immediate evidenti primorum principiorum rationis. Hoc siquidem sensu patres graeci subinde dicunt, fidem scientia esse priorem. — Sed haec sunt casus exceptionales.

b. Pro *firmo assensu rerum metaphysicarum et moralium, qui ultimo nititur dispositionibus subjectivis, motivisque ordinis affectivi*. Hujusmodi motiva sunt secundum *Kant:* postulatio irrefragabilis rationis practicae (conscientiae moralis, imperativi categorici); secundum *Neo-criticismum* (Renouvier): inclinatio „totius hominis", np. intellectus, voluntatis, affectionum, per varia adjuncta interna et externa modificatorum; secundum *Scholam scoticam* (Reid): communis inclinatio naturae humanae et consensus generis humani inde profluens; secundum *Jacobi* et Sentimentalistas: sensus quidam spiritualis et instinctivus rerum suprasensibilium; secundum *Balfour:* exigentia boni communis, seu necessitas rationabiliter vindicandi ordinem religiosum, moralem, socialem, sine quibus vita humana pretio careret et societas dissolveretur.

[1] *Rom.* **3**, 3. — [2] *I Tim.* **5**, 12. — [3] *Mt.* **14**, 31. — [4] Cfr. *Cat. heidelb* qu. 21. Protestantes praesertim antiquiores distinguunt *fidem historicam*, qua vera habentur quaecumque Deus revelavit; *fidem miraculorum*, quae miracula impetrat a Deo, et *fidem promissionum*, seu specialem. — [5] *Rom.* **14**, 23.

Quum autem nec dispositio subjectiva, quocumque modo explicetur, nec utilitas publica vel privata menti reflectenti possint esse ultimum motivum verae certitudinis, „fides" ista modernorum necessaria consequentia in scepticismum tendit [1]. Nihilominus plus aequo in illam inclinantur nonnulli apologetae galli, qui „methodum immanentiae" profitentur, nec immerito diceretur etiam card. Newman ei nonnumquam favisse [2].

c. Pro *assensu firmo propter testimonium alterius.* Et haec est genuina notio fidei in sensu stricto, uti constat ex praelectionibus philosophicis [3].

180. II. *Fides* in sensu proprio *differt*:

a. Ab *opinione,* in qua intellectus uni parti adhaeret quidem, sed cum formidine oppositi, proinde non firmiter. Nihilominus in usu loquendi vulgari credere saepius idem sonat ac opinari.

b. Ab *experientia, intellectu, scientia,* in quibus assensus praebetur ob rationem internam, np. ob ipsam veritatis evidentiam, quae aut sensibus illucet aut menti affulget sive immediate, sive mediate; cum in fide intellectus assensum praebeat ob rationem extrinsecam, np. propter testimonium alterius. — Rem breviter comprehendit s. THOMAS: „fides .... excedit opinionem in hoc, quod habet firmam inhaesionem, deficit vero a scientia in eo, quod non habet visionem" [4].

181. III. Quum intellectus ex seipso ad assensum non necessitetur nisi perspecta interna rei veritate, evidentia autem veritatis in fide deficiat, sequitur assensum fidei nonnisi ex imperio voluntatis perfici; unde fides merito definitur: *actus intellectus firmiter assentientis veritati, propter auctoritatem alterius, ex imperio voluntatis.*

Voluntas itaque ad actum fidei efficaciter cooperatur, sed influxus voluntatis caecus non est, nec proinde ultimum motivum assentiendi constituit; siquidem in fide voluntas assensum imperat, *quia* intellectus agnovit auctoritatem (i. e. scientiam et veracitatem)

---

[1] Cfr. BEYSENS, *Criteriologie* p. 240 seq. — [2] Cfr. *De Katholiek*, 115 (1899), p. 182. — [3] Cfr. BEYSENS, l. c., p. 307. — [4] *S. Th.* I, II, **67**, 3.

attestantis, et judicavit honestum esse huic auctoritati acquiescere. Igitur etsi in fide intellectui deest ratio *necessitans*, non deest ratio *sufficiens* cum certitudine assentiendi.

IV. Quum fides sit assensus propter auctoritatem testantis, **182.** diversa conditio testantis diversificat fidem. Hinc distinguuntur **a.** *fides humana*, quae nititur auctoritate hominis, et **b.** *fides divina*, quae nititur autoritate Dei. Et hae omnibus consentientibus specie differunt. Praeterea memorari debet **c.** *fides ecclesiastica*, quae nititur auctoritate infallibili ecclesiae. Intellegitur assensus, quo recipimus res ad doctrinam fidei et morum pertinentes quidem, sed non formaliter revelatas, quas ecclesia definitivo judicis sancit. Disputatur, num sub fide divina comprehendatur; plures aliis reclamantibus eum vocant fidem mediate divinam.

V. *Fidei divinae definitionem* exhibet conc. vatic.: „Fidem, **183.** quae humanae salutis initium est, ecclesia catholica profitetur, *virtutem* esse *supernaturalem, qua Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus*, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed *propter auctoritatem ipsius Dei revelantis*, qui nec falli nec fallere potest" [1]. Concilium directe respicit *fidem habitualem*, qualitatem permanentem, qua ad eliciendos actus fidei inclinamur; sed quum habitus ex proprio suo actu declaretur, habes definitionem *fidei actualis*, si loco verborum „virtutem supernaturalem" legas: actum supernaturalem. — Consonat definitio brevior s. THOMAE: „Actus intellectus assentientis veritati divinae, ex imperio voluntatis, a Deo motae per gratiam" [2]. Etenim si natura fidei est, ut per illam „*vera* esse credimus" quae a Deo revelata sunt, merito prorsus s. Thomas fidem definit ut actum intellectus, nam verum est objectum intellectus [3].

Cum ipso conc. vatic. adjicere lubet effatum s. PAULI: „Est

---

[1] Const. *De fide*, cp. 3. — [2] *S. Th.* II, II, 2, 9 c. — [3] Hinc vides jam non fidem, sed potius charitatem, e radice fidei germinantem, describere qui dicunt: „La foi... c'est l'act par lequel on s'ouvre a Dieu pour vivre réellement et éternellement en lui" (LABERTHONNIÈRE, *Le Réalisme chrétien.* cet. p. 98.

autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium" [1]; quod ita a s. THOMA explicatur [2]: „*Substantia* solet dici prima inchoatio cujusque rei et maxime quando tota res sequens continetur virtute in primo principio .... Per hunc ergo modum dicitur fides esse *substantia rerum sperandarum*, quia scil. prima inchoatio rerum sperandarum [visionis Dei beatificae] in nobis est per assensum fidei, quae virtute continet omnes res sperandas . . . [3] „Sumitur *argumentum* pro argumenti effectu, unde ipsa firma adhaesio intellectus ad veritatem fidei non apparentem vocatur hic argumentum .... Si quis igitur in formam definitionis hujusmodi verba reducere vellet, potest dicere quod fides est habitus mentis, quo inchoatur vita aeterna in nobis, faciens intellectum assentire non apparentibus".

184. VI. *Fidei divinae divisio.* Quum de sola fide, qua creditur, agamus, mittimus divisionem in fidem *subjectivam* et *objectivam*; siquidem fides in sensu objectivo est objectum quod creditur vel etiam summa totius religionis revelatae [4]. Fides autem subjectiva dividitur:

a. In fidem *simpliciter divinam*, quae versatur circa veritates revelatas, citra propositionem ecclesiae homini cognitas; et in fidem *divinam et catholicam* (seu simpliciter: *catholicam*), quae versatur circa veritates revelatas nobis ab ecclesia credendum propositas. — Fides simpliciter divina et fides catholica accidentaliter tantum differunt, nam modus, quo veritates revelatae nobis innotescunt, ipsam fidei naturam non mutat.

b. In fidem *formatam* seu *vivam*, quae annexam habet charitatem, et in fidem *informem* seu *mortuam*, quae sine illa exsistit. — Charitas dicitur vivificare, informare fidem, non eo sensu ac si charitas esset forma intrinseca seu constitutiva fidei, nam etiam

---

[1] *Heb.* II.1: *Ἔστιν δὲ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων* — [2] *S. Th.* II, II, **4**, I c. — [3] Alibi s doctor: „Quia sicut substantia est fundamentum omnium aliorum entium, ita fides est fundamentum totius aedificii spiritualis" (*In III Sent.* d. 23, q. 2, a. 1). Alii explicant: „Substantia rerum sperandarum" = illud, quo res sperandae nobis constant, nobis certae sunt. — [4] De hac fide objectiva loquitur v. g *Symb. athanas*: „Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit."

fides informis vere est fides, habens omnia quae ad naturam fidei requiruntur [1]. Charitas igitur est forma perficiens fidem extrinsece tantum: ad producendos actus *meritorios* in sensu stricto.

Quamvis fides informis in sensu exposito sit fides mortua, tamen non necessario *omnino* mortua est, quum virtutem suam exercere possit ac debeat in opera ad justificationem disponentia.

c. In fidem *explicitam*, qua assentimur alicui veritati in se i. e. propriis terminis cognitae; et fidem *implicitam*, qua assentimur veritati in se non cognitae sed contentae in alia explicite credita; ita e. g. qui profitetur credere quaecumque ecclesia catholica credenda proponit, vel explicite profitetur necessitatem gratiae ad omne opus salutare, implicite credit necessitatem gratiae ad initium fidei [2].

d. In fidem *actualem* et *habitualem*, ut supra.

CAPUT I
DE OBJECTO FIDEI DIVINAE

Objectum fidei duplex est, materiale scil. et formale. Dicemus in *art. I* de objecto formali, a quo tota natura fidei divinae et omnes ejus proprietates pendent; in reliquis de objecto materiali; et quidem in *art. II* de objecto materiali fidei simpliciter divinae, in *art. III* de objecto materiali fidei catholicae, in *art. IV* de incremento objecti materialis fidei catholicae. Per modum appendicum subjungemus *art. V* de veritatibus theologicis et *art. VI* de censuris theologicis.

---

[1] Cfr. *Conc. trid.*: S. q. d., amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti, aut fidem quae remanet non esse veram fidem, licet non sit viva, a. s." (S. 6, *de justif.* can. 28); *conc. vatic.*: „Fides ipsa in se, etiamsi per charitatem non operetur, donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens" Const. *De fide.* cp. 3. — [2] Igitur notionem fidei implicitae pervertunt, qui hoc nomine intellegunt *bonam voluntatem*, qua homo bona supernaturalia, quibus Deus insufficientiae nostrae medetur, exspectare incipit; „Dès lors qu'on ne prétend pas se suffire à soi-même, peu importe, qu'on sache ou non nommer Dieu, on l'accepte et on l'attend: on a la foi implicite" (LABERTHONNIÈRE, *Le Problème religieux*, p. 26).

Art. I

De objecto formali fidei divinae

185. I. Fidei *objectum formale* (objectum formale, quo) est illud, per quod objectum materiale ab intellectu attingitur, propter quod assensus datur, quod objectum materiale illuminat seu informat; est ratio objectiva quae intellectum movet ad assentiendum. Hinc etiam vocari potest et saepe vocatur *motivum fidei*, dummodo intellegatur motivum objectivum quod ipsum assensum informat atque specificat, quo proxime movemur ad assentiendum veritati revelatae. Nam nomen „motivum fidei" saepius in sensu latiori adhibetur pro omnibus causis, quae ad actum fidei aliquo modo, etiam remote, movent: sive disponendo ut motiva credibilitatis, sive alliciendo ut honestas subjectionis in Deum, sive imperando ut voluntas, sive adjuvando ut gratia Dei, sive dirigendo ut propositio ecclesiae. Quae omnia in decursu tractatus magis declarantur.

186. II. Imprimis certum est, *requiri* aliquod veri nominis *objectum formale*, seu motivum objectivum, nam si assensus mentis dispositionibus subjectivis niteretur, nec nomen fidei mereret, nec reflexioni resistere posset.

Praeterea ex genuina notione fidei in genere, supra indicata, certum est objectum formale *non esse* quamcumque *bonitatem* aut utilitatem rerum credendarum. Hinc penitus excluditur sententia, quam nuper defendere, imo s. Thomae supponere conatus est Lederer [1], secundum quem intellectus veritatibus christianis ideo assentiret, quia judicat eas conducere ad beatitudinem supernaturalem. Desiderium salutis, quam doctrina christiana promittit, potest esse motivum inquirendi, num doctrina illa ob rationem sive internam sive externam assensum mereatur, qua inventa idem desiderium potest esse motivum propter quod voluntas assensum imperat, sed nullo modo potest esse motivum formale ipsius assensus.

---

[1] In *Theol. Quartals.* (Tübingen) 1901, p. 232, necnon in opere *Ein sehr notwendige Reform auf dem Gebiete Kath. Lehre u. Praxis*, 1905.

Denique ex eadem notione fidei liquet, motivum formale assensus non esse evidentiam veritatis, secus enim assensus non fides esset sed scientia.

III, *Objectum formale fidei est auctoritas Dei revelantis.* — **187.** Fidei *dogma* est ex conc. vatic, jam citato [1]. Auctoritas consurgit ex *scientia* et *veracitate*, unde conc. vatic. addit: „propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, *qui nec falli nec fallere potest.*" Quum autem haec Dei auctoritas a conc. diserte opponatur evidentiae veritatis, necessario intellegenda est auctoritas Dei formaliter ut *testis*. Testis siquidem a magistro differt in eo, quod testis solam exsistentiam rei pandit, magister vero insuper internam ejus rationem aperit. Atqui hinc patet, vocem „Dei *revelantis*" nullo modo accipi posse de revelatione impropria, seu naturali [2], quippe qua Deus non testetur sed doceat.

Assertio *probatur:* **a.** ex *Scriptura*. „Quod scimus loquimur et testimonium nostrum non accipitis". — „Qui de coelo venit [Christus] super omnes est. Et quod vidit et audivit hoc testatur, et testimonium ejus nemo accipit. Qui accipit ejus testimonium signavit, quia Deus verax est. Quem enim misit Deus verba Dei loquitur" [3]. **b.** Ex *Traditione*. s. CHRYSOSTOMUS: „Hoc est fides quando illis credimus quae non videntur, et mentem ad dignitatem ejus qui promisit intendimus. Discamus et nos Dei credere dictis" [4]. s. LEO M: „Divina est auctoritas, cui credimus" [5]. s. THOMAS: „In fide si consideremus formalem rationem objecti, nihil aliud est quam prima veritas; non enim fides de qua loquimur assentit alicui, nisi quia est a Deo revelatum. Unde ipsi veritati divinae fides innitiur tamquam medio". Et: „Ipsum testi-

---

[1] Cfr. Can. III, 2: „S. q. d., fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur, a, s." — Mittimus sententias discrepantes antiquiorum theologorum, ex quibus Cajetanus objectum formale fidei reposuit in divina essentia, Gulielmus parisiensis in supremo Dei dominio, Bannez et Sylvester Maurus saltem partialiter in lumine fidei, sive habituali, sive actuali, Ripalda pro revelationibus promissoriis in fidelitate Dei. De quibus consuli potest v. g. WILMERS, *De fide*, p. 44 seq. — [2] Cfr. tract. *De vera Relig.* n° **12.** — [3] *Jo.* **3**, 11; 31—34; cfr. **8**, 26; **12**, 44—49; *I Thess.* **2**, 13; *I Jo.* **5**, 9—10. — [4] *Hom. 36 in Genes.* n° 6. — [5] *De nativ.* Serm. 7, 1.

monium primae veritatis se habet in fide ut principium in scientiis demonstrativis" [1].

188. IV. Quamvis omnes theologi, saltem post conc. vatic. doceant, auctoritatem Dei revelantis esse objectum formale fidei, adhuc scinduntur circa quaestionem, num *revelatio* habenda sit veri nominis pars seu elementum constitutivum ejus, necne.

Alii docent, auctoritatem, i. e. scientiam et veracitatem Dei constituere motivum fidei adaequatum, revelationem seu locutionem Dei esse tantum *conditionem, sine qua non.*

Alii plures tenent, adaequatum fidei motivum conflari ex auctoritate et revelatione, ita tamen ut revelatio sit *elementum subordinatum* ac veluti materiale, quod auctoritas Dei informat. Dicunt: scientia et veracitas Dei, secundum se spectatae obsequium nostrum merentur quidem, et efficiunt ut parati simus ad credendum si Deus loquatur, sed ad ipsam fidem non movent nec movere possunt, nisi Deus sensa sua manifestaverit revelando.

Alii denique, distinguendo inter *revelationem activam* (actum voluntatis, quo Deus conceptus suos ordinat ad nos, quo vult ut sensa sua nobis innotescant) et revelationem *passivam* (actus et signa veritatem divinam ad extra manifestantia), docent *illam* quidem esse *elementum constitutivum* objecti formalis fidei, *hanc* vero solam *conditionem applicativam*. Dicunt: scientia et veracitas Dei conceptus suos ad nos ordinantis me movent ad credendum, quamprimum sensa divina revelatione externa seu passiva cognoverim. — Sententia haec commendatur ex eo, quod formulam vaticanam salvat, quin motivo fidei, virtutis theologicae, aliquid creatum admisceat, nam revelatio activa ab ipso Deo non realiter distinguitur.

189. V. Nonnulli putarunt, etiam *propositionem* revelatae veritatis

---

[1] *S. Th.* II, II, 1, 1: *De verit.* **14**, 8, ad 16. — *Veritas*, adaequatio intellectus et rei, formaliter est in intellectu. *In Deo* est veritas formalis eaque summa, quia ejus intellectus omnia perfectissime cognoscit sicuti sunt; quum autem Deus sit suum intellegere, merito dicitur: *Deus est veritas.* Est autem Deus *prima veritas*, quia in intellectu creato eatenus tantum est veritas, quatenus lumine, a Deo accepto, divinam cognitionem imitatur. Cfr. *S. Th.* I, **16**, 5.

per ecclesiam, imprimis si consideratur ut continuatio quaedam locutionis divinae, ad objectum formale fidei pertinere. Sed perperam, nam propositio per ecclesiam non est nisi medium ordinarium, quo veritates in deposito Scripturae et traditionis contentae nobis tuto innotescunt, ut iis propter solam Dei revelantis auctoritatem adhaereamus. Hinc quando AUGUSTINUS dicit „Evangelio non crederem nisi me catholicae ecclesiae commoveret auctoritas" [1], non intellegit ecclesiae auctoritatem esse motivum seu rationem formalem cur credamus evangelio, sed solum illam esse ordinarium medium cognoscendi quid pro evangelio recipiendum sit.

Dixi „medium *ordinarium*" np. in praesenti ordine providentiae. Etsi enim moraliter impossibile est integram revelationem christianam citra ecclesiam cognoscere, id de singulis veritatibus revelatis asseri nequit.

Non immerito quidem dicitur, propositionem per ecclesiam esse veluti continuationem locutionis divinae, sed continuatio illa realiter distinguitur a locutione divina externa depositum fidei constituente. Quodsi adhaerendum putaveris opinioni, ipsam revelationem passivam a vero motivo fidei excludenti, continuatio ejus multo apertius excluditur.

VI. *Corollarium practicum.* Quia ad actum fidei divinae omnino **190.** requiritur, „ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur", pueri ac rudes, qui dogmata fidei admitterent *nude* propter testimonium parentum aut parochi, actum fidei *divinae* non elicerent. Fideles igitur hac de re instruendi sunt. Cave tamen ne rem exaggeres; minime necesse est ut in quolibet fidei actu expresse de objecto formali cogitetur; sufficit habitualis notitia de auctoritate Dei revelantis ut motivo fidei, qualis certo adest, quoties fideles interrogati: cur ita credant, statim respondere sciunt: quia Deus verax revelavit. Nec multum officit, si responderint: quia ita docet ecclesia; vix enim ignorabunt, ecclesiam esse custodem et praeconem verbi Dei.

---

[1] *C. ep. fundam.* 5.

Art. II

De objecto materiali fidei simpliciter divinae

In hoc *art.* quaeritur, quaenam sint objectum fidei divinae *secundum se*, i. e. quaenam veritates fide divina credi a nobis possint ac debeant, *supposito* quod satis innotuerint.

191 I. Ex praecedentibus sponte fluit assertio generalis: objectum materiale fidei divinae sunt *ea omnia eaque sola, quae a Deo revelata sunt*, siquidem haec omnia et sola subsunt rationi formali fidei, quae est auctoritas Dei revelantis.

Observa autem nomen *revelationis* hoc loco non adhiberi in sensu restricto per oppositionem ad inspirationem, sed in tota amplitudine sensus proprii [1], i. e. locutionis divinae, ita ut etiam illa includat, quae hagiographi naturaliter jam cognoscebant antequam ea ex inspiratione divina in Scripturis consignarent. Sane quum omnia, quae in Scripturis ab hagiographo qua tali affirmantur, sunt verbum Dei ab intrinseco, absque dubio substant auctoritati Dei loquentis. In Scriptura Deus, auctor principalis, per hagiographos loquitur ecclesiae [2]; proinde merito dicitur *nobis* revelare, quaecumque ibi vere affirmat.

Hoc itaque supposito et praecisa interim quaestione de revelationibus privatis, tota quaestio de objecto materiali fidei divinae resolvitur, in quaestionem: *qua ratione aliqua veritas in fontibus revelationis contineri debeat, ut tamquam revelata sit habenda.* Quoties enim vere revelata est, objectum materiale fidei exsistit.

192. Porro veritas aliqua in fontibus revelationis contineri potest aut formaliter, aut virtualiter tantum.

1° Continetur *formaliter*, si ipsa per se ibi manifestatur, vel immediate vel mediate (np. in utraque praemissa.).

---

[1] Dico: *sensus proprii*, nam revelatio, quae vocatur naturalis, supra jam exclusa est. Et aperte excluditur revelatio in sensu modernistico, de qua ecr. *Lamentabili*, prop. 20: „Revelatio nihil aliud esse potuit quam acquisita ab homine suae ad Deum relationis conscienta". Cfr. prop. 22. — [2] Hanc doctrinam nuper immerito impugnavit Bonaccorsi, *Questioni bibliche* (1904), p. 214.

2⁰ Continetur *virtualiter* tantum, si ipsa per se ibi non enuntiatur, sed potius alterutrum principiorum, ex quibus deducitur.

Ad Ium. — Continentia *formalis* duplici modo habetur: a. *Explicite*, si fontes revelationis propositionem, de qua quaeritur, *totidem verbis*, sub propriis ejus terminis, proinde omnino aperte ac signanter exprimunt. — b. *Implicite* (in confuso), si hanc meam propositionem non ita aperte, non his praecise terminis, sed tamen *aequivalenter* manifestant. Modi quibus id obtinere potest explicant hae regulae particulares.

α. Si in fontibus explicite continetur *definitum*, implicite continetur definitio et vice versa. Nonne propositioni: Christus est homo, vere aequivalet haec: Christus est animal rationale? Ita v. g. in iis, quae in Scriptura de Patre et Filio et Spiritu s. enuntiant, implicite continetur prop.: Pater et Filius et Spiritus s. sunt personae divinae. Similiter verba: „Ego et pater unum sumus", implicite continent consubstantialitatem Filii cum Patre. Iterum ea quae de ritu et effectu baptismi dicuntur implicite continent prop.: Baptismus est sacramentum.

β. Si fontes explicite affirmant *totum physicum*, implicite affirmant omnes et singulas ejus partes essentiales et eas integrales, sine quibus totum exsistere nequit. Nonne sub prop.: Christus est homo, formaliter continentur prop: „Christus habet animam rationalem, ... corpus organicum, ... caput, cor, sanguinem"?

γ. Si fontes explicite continent *ambas praemissas*, implicite **193.**
continent conclusionem (non formaliter ut conclusionem, sed secundum objectum seu materiam). V.g. explicite: ad omne opus supernaturale requiritur gratia, et: initium fidei est opus supernaturale; implicite: ad initium fidei requiritur gratia.

δ. Si fontes explicite in diversis locis continent *omnia elementa*, ex quorum collatione et comparatione aliqua veritas collectiva exsurgit, implicite continent ipsam veritatem collectivam. Hac ratione v.g. in fontibus continetur prop.: septem sunt N. L. sacramenta: baptismus, cet. — Idem valet de singulis elementis, si ipsa *veritas collectiva* in fontibus explicite continetur; hinc ubi explicite affirmatur: „Statutum est hominibus semel mori, post hoc

autem judicium", implicite docetur: statutum est Petro mori et judicari. — His communiter accensetur:

ε. Si fontes explicite aliquid affirmant de *toto logico* seu subjecto universali, implicite idem docent de singulis speciebus aut individuis, sub eo evidenter comprehensis. Ita v.g. ubi explicite affirmatur: homo est mortalis, anima est immortalis, implicite docetur: Petrus est mortalis, anima Petri est immortalis.

Ceterum etsi hae regulae, sicut et aliae minoris momenti, utilissimae sunt ad determinandum quid in fontibus revelationis formaliter implicite contineatur, per se solae non sufficiunt, sed praeterea attendi debet *intentio* loquentis, qualem eam adjuncta concreta forte manifestant.

Fieri enim potest, ut loquens per verba sua aliquid amplius insinuando significare intendat, quam ipsa verba in abstracto important. Quodsi haec intentio ex adjunctis patet, omnino dicendum est sensum illum, utut ultra grammaticales explicationis regulas exuberantem, in verbis prolatis formaliter implicite contineri. Summa enim aequae interpretationis lex est, ut loquens id omne verbis suis manifestasse dicatur, quod omnibus rite consideratis per ea manifestare voluisse judicatur.

194. *Ad 2um.* — Continentia *virtualis* tantum habetur, quoties propositio, de qua agitur, ex effato divino deducitur ope praemissae naturalis per discursum non mere explicativum: *conclusio theologica.* — Discursus mere explicatuvis habetur, quoties praemissae sunt judicia identitatis, judicia in quibus praedicatum definitionem subjecti complete vel incomplete exhibet, a. v. notam essentialem subjecti exprimit. Qui v. g. dicit: Christus est homo, atqui homo, est animal rationale, ergo Christus est animal rationale, discursum mere explicatorium adhibet, nam in praemissis: Christus est homo, homo est animal rationale, praedicatum notam essentialem subjecti exhibet. Discursus non mere explicativus sed illativus adest, quando praemissae non sunt judicia indentitatis, in quibus scil. praedicatum notam extra-essentialem sed propriam subjecti enuntiat. Qui v. g. dicit: Christus est homo, atqui homo est risibilis, vel: naturaliter cibo indiget, ergo —, discursum illa-

tivum facit, nam esse risibilem (intellegendo risum, qui sit expressio affectus rationalis) et indigere cibo, sunt notae non essentiales sed propriae humanae naturae.

II. Jam *certum* est, *omnia*, quae in fontibus revelationis *formaliter continentur, sive explicite sive etiam implicite* esse objectum materiale fidei divinae. Sunt enim absque dubio a Deo revelata, i. e. nobis vere intimata. Quod etiam valet de implicitis; quum enim „non in verbis Scripturarum sit Evangelium sed in sensu, non in sermonum foliis sed in radice rationis", [1] omnino dicendum est, Deum nobis communicare voluisse omnem veritatem, quae quoad sensum aut convertitur cum illa, aut formaliter comprehenditur sub illa, quam termini revelationis signanter exprimunt. — Et hac in re theologi conveniunt, licet aliquando dissentiant circa quaestionem, utrum haec vel illa veritas censenda sit formaliter implicite, an virtualiter tantum revelata; uti mox videbimus. **195.**

III. *Disputatur* inter theologos, *utrum ea*, quae in fontibus revelationis *virtualiter tantum continentur*, sint objectum fidei divinae, necne. **196.**

Prima sententia [2] communior, quam veriorem habemus, *simpliciter negat.* — Dicunt: 1° Illud tantum fide divina credi potest, quod est nobis manifestatum a Deo; atqui veritas virtualiter tantum revelata non est ipsa nobis manifestata a Deo, quum sit veritas diversa a veritate in fontibus revelationis contenta. 2° Illud tantum objectum fidei divinae est, quod propter solam auctoritatem Dei revelantis admittitur; atqui veritas virtualiter tantum revelata non admittitur propter solam auctoritatem Dei; est enim vera conclusio ex duabus praemissis, quarum una tantum revelata est. Conclusio autem, cujus veritas mihi innotescit partim revelatione divina, partim naturali lumine, non potest a me admitti propter

---

[1] S. HIERONYMUS, *In Ep. ad Gal.* 1, 11—12.

[2] Ita v. g. SALMANTICENSES, *De fide*, disp. I, dub. 4, § 4 - 7; KILBER (*Theol. wirceburg.*) *De virt. theol.*, disp. II, c. 1, a. 3; BILLOT, *De virt. inf.*, p. 255

solam auctoritatem Dei revelantis; pejorem semper sequitur conclusio partem.

197. *Secunda* sententia [1] *simpliciter affirmat*, dummodo agatur de conclusionibus certis et indubitatis. — Dicunt: Deus omnes conclusiones, quae ex effatis suis legitime deduci possunt, ét cognovit, ét probavit, simulque scivit homines eas aliquando erunturos, ergo eas non minus quam formaliter implicita revelavit. — Respondetur: quaestio non est, num Deus conclusiones noverit et probaverit, sed num eas loquendo nobis communicaverit, i. e. manifestare intenderit. Id autem non probatur, imo pro multis saltem conclusionibus merito negatur. Numquid Deus, dicendo: Christus est homo, nobis intimare intendebat risibilitatem Christi? — Haec sententia videtur satis derelicta.

198. *Tertia* sententia [2] *distinguendo* docet, continentiam virtualem per se non sufficere, ut res fide divina credatur, sufficere vero accedente definitione ecclesiae. Ratio autem propter quam hoc alterum affirmant, non est eadem apud omnes. — *Alii* [3] dicunt, quidquid ecclesia definit, quocumque modo cum revelatione conjungatur, semper creditur fide divina, nam etsi motivum proximum assentiendi est auctoritas infallibilis ecclesiae, motivum ultimum est auctoritas Dei, cujus testimonio infallibilitatem ecclesiae didicimus. Hi igitur rationem formalem, quare conclusio theologica ab ecclesia definita, fide divina credenda sit, non ponunt in antiqua revelatione virtuali, sed in praesenti testimonio ecclesiae, quod ex ipsorum sententia reapse est testimonium divinum. Jam tertia sententia, hoc modo intellecta, recte quidem concludit, sed nititur suppositione, quam falsam ducimus. Immerito enim asseritur testimonium ecclesiae esse testimonium Dei, uti dicemus ubi de fide ecclesiastica. — *Alii* [4] dicunt: definitio ecclesiae certo probat, Deum

---

[1] Ita v. g. MELCH. CANO, *De locis*, VI, 8, 10; VASQUEZ, *In I partem Summae Theol.*, disp. 5. cp. 3. — [2] Ita v. g. SUAREZ, *De fide*, disp. 3. s. 3, n° 11; DE LUGO, *De fide*, disp. 1, s. 13, n° 261, et alii plures etiam recentiores. — [3] Ita v. g. ipse SUAREZ, l. c., et SCHIFFINI, *De Virtut.* p. 218. — [4] Ita v.g. WILMERS, *De fide*, p. 249.

voluisse ut haec saltem conclusio ex verbo suo hauriretur, fideque teneretur, a. v. Deum eam verbo suo communicare voluisse, proinde vere revelasse. — Respondeo: 1° Quando ecclesia propositionem, quae habetur virtualiter tantum revelata, simpliciter definit, exinde probatur, Deum velle ut eam propter auctoritatem ecclesiae teneamus, vult enim ut ecclesiam audiamus; sed non sequitur, Deum velle, ut eam tamquam verbo suo communicatam credamus. 2° Fieri potest, ut ecclesia propositionem, quam plures theologi virtualiter tantum revelatam habebant, ita definiat ut eam tamquam revelatam proponat [1], et in hoc casu simul certioramur, hanc propositionem semper formaliter in fontibus revelationis contentam fuisse. Sane definitio ecclesiae non mutat habitudinem propositionis ad fontes revelationis. Ubi igitur ecclesia veritatem, quam virtualiter tantum comprehensam habebas, proponit ut revelatam, fideque divina credendam, alterutrum eligas necesse est: aut ponere debes, eam semper formaliter in fontibus fuisse comprehensam, et ita adhaeres primae sententiae; aut admittere cogeris, continentiam virtualem per se sufficere, ut res fide divina credatur, et ita recidis in secundam sententiam [2].

IV. Specialis quaestio est, num objectum fidei divinae sint quae- **199.**
dam propositiones particulares magni momenti, quae sub universali aut collectiva formaliter revelata continentur, *mediante aliqua conditione, de cujus impletione absolute constat.*

Dico: *mediante aliqua conditione*, nam de propositionibus, quae sub universali vel collectiva revelata immediate atque omnino evidenter comprehenduntur, dubium non est [3]; hinc ut implicite

---

[1] Ita, v. g. ante definitionem imm. conceptionis B. M. V. plures putabant, hanc rem veram quidem esse, sed virtualiter tantum revelatam. — [2] Etsi explicationem cl. Wilmers non accipimus, *re ipsa* non ita multum ab eo distamus. Scribit enim: „Argumenta quibus certi sumus [hanc rem. quae videretur virtualiter tantum in fontibus comprehensam, esse immediate revelatam] eo convergunt, ut ostendatur, id, quod re abstracte considerata nonnisi virtualiter est revelatum, attentis circumstantiis, fine Dei loquentis, explicatione per apostolos addita, i. e. *re considerata concrete*, immediate revelatum dici posse" (l. c., p. 252). Rectissime quidem! Adjicere vellem: Ecclesia autem hujusmodi rem ut *fide divina* credendam definire potest, quoties ipsi *ex adiunctis* constiterit de intentione Dei eam vere revelandi. — [3] Cfr. supra n° **193**.

revelatae fide divina credi possunt v. g. prop.: Petrus in Adam peccavit, judicabitur, resurget. Manifestum enim est, hunc hominem, qui vocatur Petrus, immediate contineri sub „omnes homines."

Dico: *„de cujus impletione absolute constat,* nam ubi de impletione non ita constat ut omne periculum errandi penitus excludatur, propositio particularis fide divina credi nequit. Hinc praesentia Christi sub *tali* hostia, justificatio *hujus* infantis recens e fonte baptismali levati, non solent esse fide divina credibilia, quia de impletione conditionis (quod haec hostia sit rite consecrata, hic infans valide baptizatus) fidelibus non constabit absolute [1].

200. Propositiones particulares, de quibus hoc loco agimus sunt imprimis: *Benedictus XV habet primatum in universam ecclesiam, ex cathedra loquens est infallibilis* [2], et: *Concilium trid.* vel *vatic. fuit infallibile.*

Secundum omnes formaliter revelatae sunt propositiones universales: Petrus cum omnibus suis successoribus habet primatum, est infallibilis, et: magisterium ecclesiae (= concilium oecumenicum) est infallibile. Propositiones autem nostrae sub his universalibus comprehenduntur mediantibus conditionibus, quod card. Della Chiesa sit legitime in locum Petri suffectus, quod coetus tridentinus vel vaticanus fuerit concilium oecumenicum. De harum autem conditionum impletione absolute constat fide ecclesiastica, in persuasione et praxi universalis ecclesiae fundata.

---

[1] Hinc s. THOMAS: „Fides credentis non refertur ad has species panis vel illas, sed ad hoc quod verum Christi corpus sit sub speciebus panis sensibilis, quando recte fuerit consecratum" (*S. Th.* II, II 1, 3 ad 4). Fideles quidem quotidie orant: Credo, te *hic* vere praesentem, et ita praesentiam Christi sub *hac* hostia simpliciter admittunt ut veram. Recte omnino; nam, seclusis adjunctis exceptionalibus, de facto validae consecrationis nec dubitamus, nec rationabiliter dubitare possemus. Nihilominus quum fideles de facto validae consecrationis non habeant nisi certitudinem humano-moralem, actus autem fidei divinae certitudinem metaphysico-moralem requirat, judicium: Christus sub *hac* hostia praesens est non est judicium fidei *divinae* nisi sub conditione interpretativa validae consecrationis. Non sequitur tamen etiam actum adorationis in Christum, ut sub hac hostia praesentem, esse interpretative hypotheticum, nam ad exercitium virtutis moralis sufficit judicium practicum certum de honestate actus, quod (praecisis casibus extraordinariis, in quibus habetur ratio prudenter dubitandi) minime desideratur. Cfr. DE LUGO, *De fide,* disp. 1, n° 320. — [2] Cfr. DENZ. n° 673, 674; 1831.

Jam theologi imprimis recentiores, communius docent, propositiones particulares praedictas habendas esse formaliter revelatas, proinde fide divina credibiles. Vera hujus doctrinae ratio videtur haec: finis Dei, propositiones universales ut supra revelantis, non fuit ut in genere tantum admitterentur, sed potius ut a singulis generationibus in sua particulari determinatione crederentur, ut scil. homines cujuslibet generationis divina certitudine scirent, cuinam tamquam supremo animarum pastori adhaererent et imprimis a quonam regulam fidei suae acciperent. Esto igitur, propositiones particulares, ut supra, re considerata in abstracto haberi posse conclusiones ex revelatione, sunt conclusiones quas Deus nobis intimare voluit, et ita in concreto habendae sunt formaliter implicite revelatae. Aliunde non immerito dicitur, motivum totale propter quod infallibilitati Benedicti XV ex cathedra loquentis assentior, esse solam revelationem divinam de b. Petro in cunctis ejus successoribus vivente; certitudinem vero de facto, quod d. Della Chiesa legitime in locum Petri suffectus sit, esse meram conditionem praerequisitam [1]. — Ceterum quaestio *practice* parvi momenti est, quum veritates particulares de quibus agimus, saltem fide ecclesiastica ut infallibiliter verae tenendae sint.

201. V. Haec de iis, quae ut in fontibus revelationis christianae formaliter comprehensa, objectum materiale fidei divinae exsistunt. Quum autem auctoritas Dei revelantis omnibus et singulis, quae hac ratione in fontibus continentur, aequaliter applicetur, omnia aequalem fidem merentur, proinde eadem firmitate retinenda sunt. Verum si spectatur *finis* revelationis et fidei, qui est vita aeterna seu visio Dei beatifica, facile deprehenditur *quidam ordo* inter veritates revelatas, et ita distinguitur objectum materiale fidei primarium, secundarium et mere accidentale.

Objectum *primarium* et principale (objectum vel subjectum attributionis) est ipse Deus, finis noster supernaturalis; nam reliqua omnia „sub assensu fidei non cadunt, nisi secundum quod habent aliquem ordinem ad Deum, prout scil. per aliquos divinitatis

[1] Cfr. v. g. FRANZELIN, *Thes de Eccl.*, p. 200.

effectus homo adjuvatur ad tendendum in divinam fruitionem" [1].

Objectum *secundarium* sunt omnia revelata de mediis, quibus homines ordinantur in Deum et ad consecutionem finis sui adjuvantur: veritates de humanitate Christi, de universa oeconomia regni ejus in terris, de relatione quarumlibet creaturarum ad Deum, praecepta morum. Ceterum ea, quae ad objectum secundarium fidei pertinent, haud omnia in eadem linea sunt, quum alia proxime, alia remote, alia remotissime conferant ad cognitionem mediorum, quibus ad visionem Dei perducimur.

Objectum *accidentale* sunt ea, quae ex se ad religionem non pertinent, sed nihilominus in Scriptura referuntur: res per accidens inspiratae.

202. Observa distantiam objecti secundarii et mere accidentalis. *Objecta secundaria* nexu interno cum objecto primario cohaerent, a Deo revelata sunt directa intentione, i. e. ea intentione ut ea ipsa nobis innotescerent; ideo simul cum objecto primario constituunt *objectum proprium* fidei, simul cum objecto primario efficiunt „res fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium", res de quibus est fides *per se* vel secundum se, quamvis aliter atque aliter, nam primario est de solo fine, de mediis autem secundario, np. propter finem. Contra *objecta accidentalia* nonnisi nexu externo et mere occasionali cum objecto proprio copulantur, nec revelata sunt directa intentione, sed per accidens tantum, i. e. non ideo ut ipsa scirentur, sed ut per ea veritates religiosae convenientius et suavius manifestarentur. Ad religionem pertinent non ratione materiae, sed ratione dicentis tantum, unde de iis est fides *per accidens*.

203. VI. Ex iis, quae hic et in praecedenti articulo diximus, conficitur, quod fides nostra tribus modis refertur in Deum [2].

Credimus *Deum*, quia ex parte objecti materialis Deus est objectum primarium fidei, cui reliqua omnia attribuuntur. Credimus *Deo*, quia Deus est objectum formale fidei. Credimus *in Deum*, quia Deus est finis in quem per fidem tendimus. Formaliter

[1] *S. Th.* II. II, 1, 1, c. — [2] L. c., 2, 2.

autem atque perfecte in Deum non tendimus, nisi per fidem charitate formatam, hinc s. AUGUSTINUS: „Si creditis in eum, creditis ei; non autem continuo qui credit ei, credit in eum. Quid est credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire et ejus membris incorporari" [1].

VII. Restat quaestio, num fidei divinae et theologicae objectum sint ea, quae *revelatione privata* panduntur. Revelatio privata est, quae dirigitur ad homines privatos, i. e. tales, qui saltem hac in re non constituuntur legati Dei ad ecclesiam. Finis ejus est privata directio vel ipsorum recipientium vel etiam quorumdam aliorum; s. THOMAS: „Singulis temporibus non defuerunt aliqui prophetiae spiritum habentes, non quidem ad novam doctrinam fidei depromendam, sed ad humanorum actuum directionem" [2]. — Porro quamvis plures theologi negaverint, indubium videtur, etiam revelationem privatam, saltem si est de rebus ad Deum finem nostrum aliquo modo pertinentibus, credi *posse* eadem virtute fidei, qua creditur veritas publice revelata. Utique supposito, quod de ejus divina origine certo constet; quod si ipsos recipientes paucosque alios excipias, non ita frequenter eveniet. Ad quaestionem, num in eadem suppositione etiam credi *debeat*, breviter respondemus: credi debet a recipiente et ab iis quibus destinatur: reliqui nec sine peccato dissentire possunt, nec ad assensum videntur obligari, quia Deus iis non loquitur; possunt igitur se negative habere. **204.**

Quoad *approbationem ecclesiae*, quam revelationes privatae aliquando nactae sunt, scribit card. FRANZELIN: „Ecclesiae judicium non eo spectat, ut revelationes proponantur fidelibus fide divina

---

[1] *Tract. 29 in Jo.* n° 6 Liquet, formulam *credere in*, in sensu supra indicato, de solo Deo adhiberi posse; nonnumquam tamen in alia significatione accipitur. Cfr. *S. Th.* II, II, 1, 9 ad 5; HEINRICH, *Dogm. Theol.* I, § 60, VII. — [2] *S. Th.* II, II, **174**, 6 ad 2. — Indirecte revelationes privatae toti ecclesiae prodesse possunt; fieri enim potest ut per eas pastores ecclesiae incitentur ad fontes revelationis publicae diligentius perscrutandos, ad necessitatem aut utilitatem fidelis populi altius meditandam. Quodsi hac ratione tandem deveniatur ad decreta sive doctrinalia sive disciplinaria, revelatio privata poterit esse eorum causa occasionalis et impulsiva, sed ipsa materies decretorum semper nitetur aut revelatione publica aut regulis prudentiae christianae.

credendae, sed ut declaretur, **a.** in iis nihil esse, quod fidei catholicae, bonis moribus et disciplinae christianae adversetur; **b.** sufficientia esse indicia veritatis, ut hujusmodi revelationes fide humana pie et prudenter ac sine superstitione credi et ad aedificationem a fidelibus legi possint. Post ecclesiae hujusmodi approbationem, vel si etiam nullo adhuc lato judicio graves adsint genuinitatis rationes, certe fas non est tales revelationes contemnere" [1].

Art. III

De objecto materiali fidei divino-catholicae

Quae in art. praecedenti exposuimus maxima parte respondent quaestioni, quaenam sint objectum materiale fidei divinae *quoad se*, quaenam fide divina credi possint ac debeant, supposito quod nobis sufficienter innotescant ut revelata. Modo inquirendum est, quaenam sint objectum materiale fidei *quoad nos* universaliter et in communi, quaenam *καθολικῶς* i. e. ab omnibus ecclesiae membris credi debeant *fide divino-catholica*.

205. I. Objectum materiale fidei divino-catholicae sunt ea omnia, quae *a magisterio ecclesiae tamquam divinitus revelata credenda proponuntur*.

Dicitur: *tamquam divinitus revelata*; ad hoc autem requiritur **a.** ut contineantur in revelatione *publica*, cujus promptuaria sunt s. Scriptura et traditio divina-apostolica; haec enim sola custodiae et praedicationi ecclesiae commissa est. Excluduntur itaque revelationes privatae, etiam genuinae, **b.** Probabilius, secundum praedicta, ut in fontibus revelationis contineantur *formaliter* [2].

Dicitur: *credenda proponuntur*; et intellegitur **a.** propositio clara

---

[1] *De Tradit.*[3], p. 277; cfr. Bened. XIV. *De canon. Sanct.*, I. II. c. 32, n° 11; cfr. decr. S. cong. Rit. 2 Maji 1877, laudatum in enc. *Pascendi* paulo ante finem. — Legi meretur Meschler, *Ueber Visionen und Prophezeiungen*, in *Stimmen a. Marialaach.* T. **14** et **15** (1878). — [2] Hinc merito proscripta est prop. 22 decr. *Lamentabili*: „Dogmata, quae ecclesia perhibet tamquam revelata, non sunt veritates e coelo delapsae, sed sunt interpretatio quaedam factorum religiosorum, quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit".

et *manifesta*, quae sufficiat ad removendam omnem dubitationem respectu ecclesiae, ut est unum corpus et per consequens respectu eorum fidelium, qui satis instructi sunt, ut de hujusmodi quaestionibus judicare queant. Ecclesia, quum totum christianae revelationis depositum fideliter conservet, omnes quidem veritates, in hoc deposito contentas, aliquo modo proponit, sed propositio pro quibusdam veritatibus potest esse implicita tantum et obscura, uti in art. sequenti ex professo dicemus. Propositio autem implicita aut minus diserta non solet efficere, ut toti in communi ecclesiae certo constet de revelatione hujus veritatis, unde in hoc casu nescientia aut dubitatio plurium jam non ignorantiae singulorum, sed potius propositioni minus distinctae magisterii tribuenda est. — Intellegitur: **b.** Propositio *definitoria*, quae sit veri nominis lex, assensum absolute firmum ab omnibus exigens; sola enim hujusmodi propositio infallibilis est.

Assertio totidem verbis habetur in *conc. vatic.*: „Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto et tradito continentur, et ab ecclesia sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio, tamquam divinitus revelata credenda proponuntur" [1]. *Probatur* autem ex eo, quod praedicatio ecclesiae ab ipso Domino constituta est regula fidei proxima.

206. II. Propositio per ecclesiam, qualem supra descripsimus, teste conc. vatic., *duplici modo* haberi potest, np. aut *solemni judicio*, aut *ordinario et universali magisterio*.

I° Nomine *solemnis judicii* comprehenduntur **a.** definitiones summi pontificis ex cathedra loquentis; **b.** definitiones conciliorum oecumenicorum; **c.** definitiones conciliorum particularium, quae aut a summo pontifice approbatae sunt in forma solemni [2], aut ab universa ecclesia receptae sunt [3]. Nomine definitionum etiam veniunt symbola et professiones fidei a supremo magisterio ecclesiae

[1] Const. *De fide*, cp. 3. — [2] Dicitur: *in forma solemni*; concilia particularia approbari solent in forma simplici tantum, approbatione aut communi, aut etiam specifica. Benedictus XIII solemniter approbavit conc. ebrodunense a. 1727. Cfr. *Coll. lacens.* I. p. 636. — [3] Ejusmodi sunt conc. milevit. II a. 416 et carthagin. a. 418 contra Pelagianos.

editae aut solemniter approbatae. — Ceterum observa vocem: *definitiones*, nam in ipsis decretis dogmaticis conciliorum et pontificum saepe nonnula occurrunt, quae minime definiendo proferuntur: observationes historicae, motiva definitionis, cet. respectu quorum assensus fidei non exigitur. Quantum ad ea, quae ad explicationem aut veri nominis probationem veritatis definitae afferuntur, videndum est, num et ipsa animo definiendi an authentice tantum proponantur,

207. 2° Exercitium *magisterii ordinarii et universalis* comprehendit actus innumeros et multum diversos, quibus summus pontifex et episcopi per orbem dispersi tum per seipsos, tum per varii gradus cooperatores doctrinam de fide et moribus continuo praedicant. Magisterium hoc exercetur primo praedicatione explicita, tum orali tum scripta, deinde etiam praedicatione implicita per praxim et liturgiam ecclesiarum, condendo leges, approbando consuetudines, commendando devotiones, approbando libros, cet [1]. Verum ut res vi praedicationis ordinariae et universalis dici queat objectum fidei divino-catholicae, requiritur propositio *manifeste definitoria*, qua scil. absque ulla tergiversatione constet, hanc doctrinam *ubique terrarum* doceri ut *revelatam* et propterea ab omnibus *necessario credendam*. Quum autem hujusmodi propositio definitoria, quae sola infallibilis est, coalescere debeat ex innumeris actibus, qui singuli non sunt definitorii nec infallibiles, ejus exsistentia, si quasdam veritates fundamentales excipias, saepe non ita manifesta est. Praecipua ejus *signa* sunt, si res ubique terrarum in catechismis popularibus docetur, et magis adhuc si universali et constanti consensu theologorum tamquam ad fidem pertinens retinetur [2].

---

[1] Cfr. A. VACANT, *Le Magistère ordinaire*, cet., 1887; BELLAMY, *La Théol. cath. au XIX siècle*, p. 233. — [2] Consensum theologorum consensui catechismorum ideo praeferimus, quia catechismi, pro ratione instructionis popularis, non solent distinguere, quaenam fide divina, quaenam fide ecclesiastica tenenda sint, quaenam theologica tantum certitudine constent. Ceterum habemus documentum pontificium, quo consensus theologorum, ut supra, assignatur in signum propositionis definitoriae: PIUS IX: Fide divina credenda sunt, „quae ordinario totius ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis theo-

Porro in ipsis veritatibus, quas praedicatio ordinaria et univer- **208.**
salis manifeste inculcat, aliquando locus esse potest dispiciendi, num secundum omnia sua elementa aequaliter imponantur. Semper manifestissime praedicatum est: Deum creasse protoparentes, formando corpora ex limo terrae, costaque viri; Adamum gustando fructum vetitum ex serpentis suasione peccasse; Deum in poenam peccati diluvium induxisse super universam terram; Christum judicem in nubibus coeli esse venturum, cet. Numquid intentio definitoria magisterii aequaliter ferebatur in modum formationis corporeae atque in ipsum factum creationis, in speciem externam actus peccaminosi atque in ipsum peccatum, in universalitatem diluvii atque in ostensionem divinae justitiae, in circumstantiam coelestis spectaculi atque in ipsum adventum judicis? Responsio affirmativa a priori parum probabilis est, quia adjuncta illa vel nihil vel non ita multum ad religionem faciunt. Quodsi historiam consulas, invenies nonnulla saltem ex adjunctis enumeratis ab uno alterove patrum aut theologorum in dubium revocata fuisse, quin eorum doctrina haberetur haeretica. Hinc etiam nostris diebus videmus, liberiores elementorum accidentalium explicationes etiam ab iis theologis, qui in severiorem partem inclinantur, non haereseos sed temeritatis, vel ad summum erroris accusari. Igitur et ipsi praedicationem ordinariam et universalem ecclesiae ita interpretantur, ut in ea diversos admittant gradus, antea non ita diserte distinctos, nunc autem diligentiori consideratione jam dis-

---

logis ad fidem pertinere retinentur" (*Ep. ad archiep. monac.* 21 Dec. 1863; DENZ. n° 1683). — Hac occasione multi theologi docent, ordinario et universali magisterio credenda proponi *ea omnia, quae in s. Scriptura ita clare continentur, ut cuilibet legenti statim pateant.* Ecclesia, aiunt, manifeste nobis exhibet Scripturam ut verbum Dei, ergo aeque manifeste exhibet quidquid in Scriptura dilucide continetur. Hanc autem positionem omittendam duxi tum propter difficultatem practicam discernendi quid in Scriptura dilucide contineatur, quid non, tum imprimis ob difficultatem theoreticam. Ex principiis catholicis praedicatio ecclesiae est regula fidei proxima, per quam regula remota, s. Scriptura, nobis applicari debet. Atqui positio praedicta hunc ordinem invertit, et Scripturam facit regulam fidei proximam. Quaeris: quid habet praedicatio ecclesiae? et respondetur: consule claram literam Scripturae! — Verum est: ea, *quae per se religiosa sunt* et in Scriptura dilucide habentur, *etiam* in quotidiana praedicatione ecclesiae manifeste continebuntur; sed perperam dicitur: ad cognoscendam manifestam praedicationem ecclesiae, inter alia recurrere debes ad Scripturam.

sociatos, secundum quos substantia doctrinae certissima fide credenda proponitur, adjuncta vero saltem non eodem rigore imponuntur. Praedicabantur quidem et ipsa et adhuc praedicantur ut *sensus obvius Scripturae*. Quodsi sensus obvius Scripturae absque necessitate relinquendus non est, haud statim sequitur eum semper assensu fidei catholicae retinendum esse.

209. *Corollarium*. Qui propositionem per magisterium ordinarium et universale cum propositione per solemne judicium *comparaverit*, facile intelleget, illam quidem esse modum primigenium, ordinarium et connaturalem proponendi veritates revelatas, hanc vero modum extraordinarium sed magis palpabilem, per quem ét intentio definitoria evidentius percipitur, ét ipsius doctrinae sensus ac limites accuratius determinantur.

Ecclesia ex duplici causa ad judicium solemne procedit; primo et plerumque ex causa *necessitatis*, quando np. innovationes aut animo haeretico aut petulanti temeritate inductae, omni qua fieri potest claritate et energia propulsandae sunt; deinde rarius ex causa majoris *utilitatis* quando scil. veritas aliqua, olim in utramque partem disputata, sed jam eliquata et universaliter admissa ad dignitatem dogmatis catholici evehitur. Nam practice res antea in controversiam positae ad hunc apicem vix perveniunt absque solemni definitione [1].

210. III. **Notio et divisio dogmatis.** — 1° *Dogma* (*δόγμα, δοκέω*) in sensu stricto et maxime usitato est *veritas a Deo revelata et qua talis ab ecclesia ad credendum proposita* [2]. Intellegitur propositio manifesta, ut supra; quae si facta fuerit per solemne judicium habetur dogma *definitum*; si vero per magisterium ordinarium et universale, habetur dogma *non-definitum* (subintellege: solemniter). — Dogma in sensu exposito idem est ac *veritas de fide catholica*.

Inferes, a vero aberrasse eos, qui nuper docuerunt, intentionem ecclesiae, dogmata definientis, non esse proponere veritatem specu-

---

[1] Cfr. BELLAMY, l. c., p. 236. — [2] Dico: in sensu maxime usitato, nam theologi antiquiores saepe nomine dogmatis comprehendunt *quamlibet* veritatem, ab ecclesia infallibili judicia sancitam.

lativam, assensu intellectivo tenendam, sed tradere *regulam practicam*, directionem vitae religiosae. Ita v.g. dogma realis praesentiae proprie huc rediret: erga hostiam consecratam eo modo te gerere debes, quo te gereres erga Christum factum visibilem [1]. Error hic proscriptus est in decreto *Lamentabili* prop. 26: „Dogmata fidei retinenda sunt tantummodo juxta sensum practicum, id est tamquam norma praeceptiva agendi, non vero tamquam norma credendi".

Dogmata principaliora saepe dicuntur *articuli* fidei, qui ex cententia s. Thomae distinguuntur ab invicem secundum quod habent specialem difficultatem: „Cum fides sit de iis, quae sunt incomprehensibilia rationi, ubi novum occurrit rationi incomprehensibile, ibi oportet esse novum articulum" [2].

211. 2° Ratione obligationis, qua omnes tenentur quasdam veritates fidei *explicite* credere, dogmata dividuntur in necessaria et utilia.

Dogmata *necessaria* sunt, quae ab omnibus propriis terminis cognosci et fide explicita credi debent; aut necessitate *medii*, quia eorum cognitio necessaria est ut homo ratione utens ad finem suum supernaturalem ordinetur; aut necessitate *praecepti*, quia requiruntur ad vitam christianam secundum communem statum fidelium digne instituendam.

Dogmata *utilia* sunt, quae fideles communes salvo salutis periculo vitaeque christianae nocumento ignorare possunt, dummodo iis adhaereant fide implicita, assentiendo omnibus, quae ecclesia credenda proponit. Sunt autem generatim ea, quae pertinent ad

---

[1] Ita E. LE ROY in *Quinzaine*, 1905, 16 avril. Adjiciebat quidem, hanc regulam practicam, ut rationabilis ac salutaris esse possit, supponere in ipsa hostia mysteriosam „realitatem", proinde dogma realis praesentiae implicite obligare, ut hanc realitatem admittas. Sed simul ita distinguebat inter intellectum formulae dogmaticae, ab ecclesia propositae, et fidem realitatis subjacentis, ut diceret: cuilibet liberum est formulam dogmaticam in suum sensum interpretari, dummodo intactam relinquat regulam practicam et per consequens subjacentem realitatem. — [2] *Comp. theol.* c. 246; cfr. *S. Th.* II, II. 1, 6, 8, 9. Alii *articulorum* nomine designari volunt veritates ab omnibus explicite credendas, alii veritates in Symb. apost. contentas, cet.

veritatis revelatae cognitionem intensive et extensive perfectiorem, necnon ad fidei defensionem.

Facile vides distinctionem nostram minime coincidere cum doctrina quorumdam protestantium, qui duce Petro Jurieu († 1713) distinguunt inter articulos *fundamentales* ab omnibus credendos et *non-fundamentales* seu indifferentes, quos salva fidei integritate et sine salutis dispendio in dubium vocare aut negare liceret [1].

212. 3° Nomen *dogma* saepius, in sensu minus stricto, sumitur pro omni veritate revelata, vel potius, ut revelationes privatae excludantur, pro omni veritate in Scriptura aut Traditione contenta.

Dogma ita intellectum dividitur in:

a. dogma *formale*, seu *quoad nos*, quod idem est ac dogma in sensu stricto; de quo supra diximus; et in:

b. dogma *materiale*, seu *quoad se*, scil. veritas revelata quidem, sed quae nec solemniter ab ecclesia definita est, nec manifeste per magisterium ordinarium et universale praedicatur; de cujus revelatione igitur etiam intra fines ecclesiae disputari potest. Dogmata materialia dicuntur etiam *veritates de fide definibili*, vel *de fide theologica*. Dogma materiale ab eo, cui ejus revelatio certo constat, credi potest ac debet fide divina, non vero fide divino-catholica.

4° Sententia, quae ab omnibus propemodum theologis communi consensu habetur revelata, quamvis de ejus propositione per ecclesiam non plene constet, vocatur *fidei proxima*, quod vix non idem est ac *ad fidem pertinens, fide certa*.

Art. IV

De incremento objecti materialis fidei catholicae

213. Numerus dogmatum credendorum ex duplici capite augeri potest; vel ex eo, quod veritates prius a Deo non manifestatae, postea publice revelentur, vel ex eo quod veritates jam antea revelatae,

[1] Cfr. Tract. *De Eccles.* n° 104.

sed ab ecclesia nondum manifeste propositae, postea clare proponantur et consequenter ab omnibus, qui sunt de ecclesia, de facili explicite cognoscantur.

In casu priori ipsum fidei depositum augetur, augetur numerus dogmatum quoad se, habetur profectus in ipsa doctrina revelata: profectus objectivus, *profectus simpliciter*.

In altero casu depositum revelationis non augetur sed melius cognoscitur tantum, augetur numerus dogmatum quoad nos, habetur progressus non in ipsa doctrina revelata sed in propositione ecclesiae et in intellectu nostro: profectus subjectivus, *profectus secundum quid*.

214. Omnibus notum est, sub V. T., tum ante Legem tum sub Lege, obtinuisse profectum fidei objectivum quum Deus procedente tempore plura revelaverit, imprimis de Messia ejusque regno, quae antea non manifestaverat. S. GREGORIUS M.: „Secundum incrementa temporum crevit scientia spiritualium patrum. Plus namque Moyses quam Abraham, plus prophetae quam Moyses, plus apostoli quam prophetae in omnipotentis Dei scientia eruditi sunt" [1].

Iterum notum est, profectum objectivum eumque praeclarissimum et locupletissimum obtinuisse in institutione N. T. Principalis hujus revelationis praeco fuit ipse Dominus, deinde etiam apostoli; nam spectatis verbis Domini [2], vix sustineri posset, Spiritum s. apostolis in die pentecostes nullas veritates novas pandisse, sed ea tantum suggessisse et explicasse, quae Christus jam docuerat et Scriptura V. T. continebat. Circa quaestionem, num apostoli etiam post pentecosten adhuc nova a Spiritu s. didicerint, theologi nonnihil differunt. Opinio negativa [3], nisi quibusdam exceptionibus temperetur, non sustinetur; probabilius tamen videtur, plerasque revelationes apostolis post pentecosten factas, spectasse intellectum explicitum et congruam applicationem eorum, quae antea jam aliquo modo didicerant.

215. Etsi igitur depositum revelationis ab Adam usque ad apostolos

[1] *Hom. in Ezech.* I. II, hom. 4, n° 12. — [2] *Jo.* **16**, 12—15. — [3] Cfr. v. g. PALMIERI, *De rom. pontif.*[2] p. 191.

objective seu simpliciter crevit, dici solet, *substantiam* religionis revelatae semper eamdem permansisse. Nomine substantiae intelleguntur duo articuli maxime fundamentales de Dei exsistentia ejusque providentia in ordine supernaturali; nam reliqua omnia quae tractu temporis revelata sunt in his duobus quodammodo continentur, continentia scil. ontologica, non logica (unde sine novis revelationibus ex iis cognosci non potuerunt): „In esse divino concluduntur omnia, quae credimus in Deo aeternaliter exsistere, in quibus nostra beatitudo consistit. In fide autem providentiae includuntur omnia, quae temporaliter a Deo dispensantur ad hominum salutem, quae sunt via ad beatitudinem" [1].

Post mortem apostolorum profectus fidei objectivus excluditur, minime vero profectus subjectivus seu secundum quid, qui tamen apprime distinguendus est ab „evolutione" rationalistica, quam extra ecclesiam plures profitentur, et a qua pauci quidam catholici non satis abstinuerunt.

216. PROP. 1. **Post mortem apostolorum objectum materiale fidei non amplius crevit, nec crescet simpliciter.**

Thesis, etsi numquam sub hac forma definita, in praedicatione theoretica et practica ecclesiae ita manifeste continetur, ut merito dicatur *de fide* [2]. Hinc in decreto *Lamentabili* proscripta est prop. 21 „Revelatio objectum fidei catholicae constituens non fuit cum apostolis completa".

Probatur autem ex eo, quod fontes revelationis christianae excludunt novas revelationes publicas, *sive* ad instituendam novam adhuc oeconomiam, quae praesenti succederet, *sive* simpliciter ad augendum depositum fidei, manente eodem testamento.

Ad Ium. — *S. Scriptura* **a.** oeconomiam Christi exhibet ut plenitudinem temporis [3], novissimum tempus [4], consummationem saeculorum [5]; **b.** diserte docet, oeconomiam Christi esse aeternam,

---

[1] *S. Th.* II, II, 1, 7 c. — [2] Cfr. *Conc. trid.* S. 4; *Conc. vatic.* Const. *De Eccles.* cp. 4; „Neque enim Petri successoribus Spiritus s. promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent". — [3] *Gal.* **4**, 4; *Ephes.* **1**, 10. — [4] *Act.* **2**, 17; *I Petr.* **1**, 20. — [5] *Heb.* **9**. 26; *I Cor.* **10**, 11.

immobilem, permanentem usque ad diem judicii, finemque saeculorum [1]. — Idem habent ss. *Patres*, imprimis Irenaeus et Tertullianus (catholicus), contra gnosticos et montanistas.

Ad 2um. — *S. Scriptura* **a.** nullibi vel levissime indicat adhuc exspectandam esse novam revelationem; **b.** satis aperte docet, ipsis personaliter apostolis traditam esse omnem veritatem salutarem [2]; unde **c.** successoribus apostolorum id unum inculcatur: custodire depositum, permanere in iis quae didicerunt, supercertari semel traditae fidei [3]. Explicitius rem conficit *Traditio*, quae a primis temporibus solam doctrinam apostolicam sectari voluit, et in materia fidei novitatem rei semper habuit ut signum peremptorium haereseos [4].

PROP. 2. **Post mortem apostolorum objectum materiale fidei crevit et adhuc crescere potest secundum quid** [5]. **217.**

Certum est, et aperte supponitur a conc vatic.: „Crescat et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam *totius ecclesiae*, aetatum ac saeculorum gradibus, intellegentia, scientia, sapientia: sed in suo duntaxat genere, in eodem scil. dogmate, eodem sensu eademque sententia" [6].

Ut veritas prop. pateat, ostendere debemus: 1^0 fontes revelationis quasdam veritates obscurius tantum continere, 2^0 ecclesiam has veritates non statim ab initio clare ac diserte praedicasse, 3^0 ecclesiam decursu temporis nonnullas earum manifeste credendas proposuisse, 4^0 idem in posterum fieri posse circa alias.

1^0 *Fontes revelationis aliquas veritates obscurius tantum continent.*

Veritates revelatae, quamvis omnes eamdem fidem mereantur, **218.**

---

[1] *Heb.* **7**, 11—28; **12**, 27—28; *II Cor.* **3**, 11; *Mt.* **24**. 14; **28**, 18—20; *I Cor.* **11**, 26 — [2] *Jo.* **16**, 12—15, **14**, 26. — [3] *I Tim.* **6**, 20; *II Tim.* **1**, 13—14; **3**, 14; *Jud.* **3**; *Rom.* **16**, 17. — [4] Cfr. v. g. S. IRENAEUS, *Adv. haer.* IV, **33**, 8: TERTULL. *De Praescript.* 8, 20—22; VINC. LERIN. *Common.* 21. — [5] Cfr. FRANZELIN. *Tract. de Trad. et Script.*; thes. 23 et 25; SCHEEBEN, *Handb. d. kath. Dogm.* I, § 63; HEINRICH, *Dogm. Theol.* II. § 78; BAINVEL., *De magist. vivo*, p. 117; Card. NEWMAN, *Essay on the Development of christian Doctrine*, 1845, iterum (notabiliter immutatum) 1878; PRUNIER, *Evolution et immutabilité*, 1898 (Coll. *Science et Religion*); DE LA BARRE, *La vie du Dogme catholique*. 1898. — Const. *De fide cath.* cp. 4 (sunt verba Vinc. lerin.).

non sunt omnes scitu aeque necessariae. Praeter eas enim quarum cognitio necessaria est ad vitam christianam digne instituendam, Deus, qui sicut in ordine naturali ita et in ordine supernaturali profusa quadam liberalitate uti consuevit, plures alias revelavit quarum cognitio utilis quidem est, idque in gradu multum diverso, sed non necessaria. Jam veritates necessario ab omnibus cognoscendae ab apostolis explicite et clare doceri debuerunt, unde illae in fontibus revelationis explicite continentur et ab ecclesia quovis tempore manifesta praedicatione propositae sunt, saltem quoad ipsam rei substantiam; nam accuratiores dogmatum necessariorum expolitiones non sunt omnibus cognitu necessariae.

Contra ex veritatibus cognitu minus necessariis, quae ad explicatiorem et profundiorem religionis christianae intellegentiam ejusque defensionem pertinent, aliquae saltem ab apostolis obscurius tantum, aut implicite, aut saltem minus diserte tradi potuerunt, eo vel magis, quia eorum successoribus ex Christi promissione semper affuturus erat Spiritus veritatis, ad rite intellegendam et distinctius explicandam pro temporum necessitatibus doctrinam revelatam.

Quinimo moraliter impossibile erat apostolis, omnes veritates secundum cunctos illarum adspectus explicite et diserte enuntiare, non quia iis defuit intellegentia suo modo perfectissima [1] (utique infusa), sed quia obstabat tum natura ipsius doctrinae, tum ratio

[1] Dico: „*suo modo* perfectissima" Certum est apud theologos, ipsos apostolos universam revelationem christianam prae quovis patre aut doctore perfecte cegnovisse, ita scil. ut quamlibet *rem concretam et complexam* clare pleneque perceperint. Inde tamen non sequitur, eos in promptu habuisse **a.** cognitionem *distinctam* singulorum elementorum cujuslibet dogmatis, **b.** cognitionem *systematicam* seu scientificam dogmatum, **c.** cognitionem *formularum abstractarum*, quas Scientia theologica postea invenit. Ad rem LABEYRIE: „Les apôtres ont de la révélation une connaissance parfaite et très-pénétrante, et non point seulement une science vague et confuse, comme nos tendances évolutionnistes nous porteraient à le croire. Les vérités par eux semées dans le monde doivent nourrir partout la foi de toutes les générations. Leur fonction requiert la pleine lumière. Comment auraient-ils dit ou écrit les mots profonds et divins, que les plus grands esprits n'auraient jamais fini de sonder, s'ils n'avaient eu eux-mêmes de leurs doctrines que des demi-vues semblables à celles des enfants apprenant leur catéchisme? Cependant leur savoir n'est pas la théologie. C'est la possession vivante et comme l'expérience de la verité concrète et réelle dans son inépuisable richesse; ce n'est ni la déduction, ni l'analyse, ni l'abstraction purement spéculative" (*La science de la foi*, p. 321).

praedicationis apostolicae. Ipsa natura doctrinae: dogmata divina ita alta sunt, ut intellectus humanus, utut supernaturali lumine copiose illustratus, non potuerit omnes eorum adspectus statim singulatim percipere ac distincte explicare; ita foecunda sunt, ut habeant applicationes multum diversas pro conditionibus et exigentiis decursu saeculorum orituris. Praeterea multipliciter tangunt scientias humanas, quae tempore apostolorum nondum colebantur, et habent oppositiones sive directas sive indirectas ad errores diversissimos, quos humana infirmitas aut perversitas tractu temporis excogitaret. Obstabat etiam natura praedicationis apostolicae, quae popularis fuit non scientifica, temporis ac locorum necessitatibus accommodata non systematica, quae praeterea non theoretica tantum fuit sed etiam practica, quatenus plura non tam disertis verbis quam exemplis, legibus, institutis proponebat. Ceterum ex toto N. T apertissimum est, methodum docendi Christi et apostolorum non hanc fuisse, ut, cum dogma aliquod docerent, illud in omnes partes verterent et plenissime explicarent.

Aliunde valde conveniens fuit, plures veritates aut veritatis adspectus obscurius tantum revelari, imo velut in profunditate depositi christiani recondi, nam hac oeconomia divina revelatio similis facta est agro fertilissimo, qui ét victum vitae spirituali necessarium ultro fundit, ét quo intensius ab hominibus excolitur eo abundantiorem veritatis fructum efferre non desinit. Hinc magnificentia divini doni splendide commendatur, et simul consulitur indoli humani ingenii, cui, quantumcumque in cognoscenda divina veritate profecerit, semper adhuc superest quod quaerat.

219. 2⁰ *Ecclesia post apostolos veritates, obscurius tantum revelatas, non statim clare ac diserte praedicavit.*

Dato, quod prima generatio christianorum non acceperit ab apostolis notitiam explicitam et distinctam quorumlibet dogmatum, hoc punctum nullam difficultatem parit. Profecto exspectandum non fuit, ut pastores ecclesiae, nulla adhuc orta controversia, nulla impellente necessitate, explicite proponerent ea omnia, quae ipsi ab apostolis implicite tantum acceperant. Unde nemini mirum videbitur, quod veritates de quibus agimus per aliquod tempus,

brevius diutius, implicite tantum, minus diserte, minusve instanter ab ecclesia fuerint propositae. Quod si ecclesia illas non manifeste docuit, unusquisque suspicabitur etiam fideles illas, ut plurimum saltem, minus clare ac distincte cognovisse (quamvis cognitio clara et distincta etiam tunc fuerit saltem physice possibilis). Neque dicas, Ecclesiam ideo muneri suo defuisse, nam si quoad veritates hujus generis sufficiunt revelatio minus aperta et implicita fides, quare non sufficeret — saltem per se loquendo et abstractione facta a peculiaribus adjunctis. — implicita praedicatio?

220. Praedicationem ecclesiae in pluribus revera fuisse minus manifestam, aperte ostendunt e. g. haec ss. Patrum effata, quae cum directe probent hoc punctum secundum, indirecte probant etiam primum.

ORIGENES distinguit inter ea, quae „manifestissime in ecclesiis praedicantur", quae „definita sunt in ecclesiastica praedicatione", de quibus „totius ecclesiae una sententia est"; et inter alia, quae „inquirenda jam pro viribus sunt de s. Scriptura et sagaci perquisitione investiganda", in quibus „non jam manifeste discernitur", quae „non satis manifesta praedicatione distinguuntur", de quibus „non evidens in ecclesiastica praedicatione sermo profertur" [1].

A s. AUGUSTINO distinguitur „error ferendus in quaestionibus non diligenter digestis, nondum plene ecclesiae auctoritate firmatis", et error non ferendus, „qui etiam fundamentum ipsum ecclesiae quatere moliatur" [2]. — Alibi scribit: „Alia sunt, in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi regulae catholicae defensores salva fidei compage non consonant, et alius alio de una re melius aliquid dicit et verius. Hoc autem unde nunc agimus [peccatum originale et baptismus parvulorum] ad ipsa fidei pertinet fundamenta" [3].

A s. LEONE M. distinguitur illud „quod Dominus in ecclesia sua neminem voluit ignorare" et „portiuncula aliqua fidei nostrae, quae minus lucide sit clara" [4].

S. THOMAS: „Dicendum est, quod eorum quae sunt fidei quae-

[1] *De Princ.* praef. — [2] *Serm.* 294 in fine. — [3] *C. Julian*, I, 6, 22. — [4] *Ep.* 30, c. 2.

dam sunt, quae non sunt perfecte per ecclesiam manifestata, sicut in primitiva ecclesia nondum erat perfecte declaratum apud homines, quod illi qui erant ex Judaeis conversi non tenerentur legalia servare, et sicut tempore Augustini nondum erat per ecclesiam declaratum, quod anima non esset ex traduce .... Quaedam vero sunt ad fidem pertinentia jam per ecclesiam determinata" [1].

3° *Ecclesia decursu saeculorum plures veritates, obscurius revelatas, manifeste credendas proposuit.* **221.**

Veritatem assertionis invicte demonstrat historia. Quis ignorat de quibusdam dogmatibus, postea ab ecclesia definitis, olim etiam intra fines ecclesiae et absque catholicae professionis dispendio dubitatum fuisse ac disputatum? Quis nescit, subinde viros etiam doctos et sanctos circa hujusmodi veritates aut dubios haesisse aut ex adverso stetisse [2], cum omnes pariter, tum qui recte judicabant, tum qui errabant, ultro faterentur neutram partem ab ecclesia clare et manifeste doceri.

Revera saepius verificatum est illud VINCENTII LERIN.: „O rerum mira conversio! auctores ejusdem opinionis catholici, consectatores vero haeretici judicantur; absolvuntur magistri, condemnantur discipuli; conscriptores librorum filii regni erunt, assertores vero gehenna suscipiet" [3]. — Quare? Quia dum illi errabant, praedicatio ecclesiae circa rem subjectam nondum erat manifesta, postea vero talis effecta est.

Corollarium. Quamvis status modo descriptus saepius obtinuerit, **222.** nemo rem ita intellegat, ac si ante *solemnes* ecclesiae definitiones ut plurimum non affuisset propositio ecclesiae satis manifesta. Contrarium verum est. Plurimae veritates, postea solemniter definitae, etiam antea et vel ab ipso ecclesiae exordio fuerant satis clare praedicatae per magisterium ordinarium et universale. Quare ergo ecclesia illas veritates postea adhuc solemniter definivit?

---

[1] *In Ep. ad Rom.* c. 14, lect. 3. — [2] Cogita e. g. s. Cyprianum in quaestione de baptismo haereticorum; s. Augustinum in quaestione de origine animae; s. Thomam aliosque in quaestione de immaculata B. V. Conceptione. — [3] *Common.* 6.

Ut vindicarentur a dubitationibus, haeretico vel temerario animo introductis aut saltem temporum et locorum iniquitate exortis.

223. 4° *Ecclesia quasdam veritates, etiam nunc minus eliquatas, in posterum manifeste praedicare poterit.*

Sane ecclesia, quod superioribus saeculis fecit, etiam in futuro facere poterit, si modo in fontibus revelationis adhuc objective continentur aliquae veritates nondum perfecte declaratae et explicatae. Atqui tales veritates adhuc exsistere nemo facile negabit, qui theologorum controversias circa plures subtiliores doctrinae revelatae quaestiones vel obiter noverit. Ceterum ipse LEO XIII, ad indefessum s. Scripturae studium provocans dicit: „In locis divinae Scripturae, quae expositionem certam ac definitam adhuc desiderant, effici ita [scil. per privatorum doctorum investigationes] potest ex suavi Dei providentis consillio, ut quasi praeparato studio judicium ecclesiae maturetur" [1].

224. **Scholion I.** *Uberior explicatio profectus secundum quid.* — Probata exsistentia incrementi subjectivi, genuinam ejus rationem, processum, causas paulo uberius exponere debemus.

Quaeritur: 1° *In quo perfectus ille consistat?*

Praesertim in tribus: in expolitione dogmatum, quae quoad substantiam semper fuerant explicite praedicata; in explicita propositione dogmatum, quae antea implicite in aliis fuerant praedicata; in diserta propositione dogmatum, quae antea minus diserte erant praedicata.

Etenim procedente tempore ecclesia coepit:

a. *Quoad sensum accuratius expolire* et *aptioribus formulis exprimere* ea, quae antea explicite quidem sed *simplicius et ideo magis confuse* praedicaverat. Ecclesia statim ab initio profitebatur unum Deum, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum; sed paulatim sensum hujus dogmatis subtilius declaravit et signantius enuntiavit profitendo unitatem naturae, trinitatem personorum, consubstan-

[1] Enc. *Providentissimus* (*Alloc. Leonis XIII*, V. p. 212.)

tialitatem Filii, divinitatem Spiritus s., cet. Item ecclesia semper explicite credidit, Christum esse verum Deum et verum hominem, sed conceptus philosophicos et terminos technicos: una persona in duabus naturis, posterior tantum aetas expolivit.

Hanc lucidiorem explicationem exoptabat VINC. LERIN.: „O doctor, si te divinum munus idoneum fecerit, pretiosas divini dogmatis gemmas exsculpe. Intellegatur te exponente illustrius, quod antea obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Eadam tamen quae didicisti, doce: ut cum dicas nove, non dicas nova" [1].

b. *Explicite et articulatim proponere* ea, quae prius *magis implicite* praedicaverat; et quidem aut *α. singulatim evolvendo varia elementa constitutiva alicujus dogmatis complexi,* aut *β. variis propositionibus particularibus enuntiando, quod prius in una universali comprehenderat.* **225.**

Ita v. g. veritas carnis et animae rationalis, duae voluntates et operationes in Christo, immunitas b. Virginis ab omni peccato actuali imo a labe originali, particularia jura et praerogativae summi pontificis sunt elementa constitutiva dogmatum complexorum: quod Christus est verus Deus et verus homo, quod b. Virgo fuit gratia plena Christoque conjuncta in opere reparationis nostrae, quod Petrus est fundamentum ecclesiae et pastor ovium.

Ita particularia dogmata de necessitate gratiae ad initium fidei et ad perseverantiam finalem jam continebantur in doctrina universali de necessitate gratiae ad omne opus salutare.

Huc spectant illa VINC. LERIN.: „Imitetur animarum religio rationem corporum: quae licet annorum processu numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen quae erant permanent. Quot parvulorum artus tot virorum, et si qua illa sunt, quae aevi maturioris aetate pariuntur, jam in seminis ratione proserta sunt; ut nihil novum postea proferatur in senibus, quod non in pueris jam ante latitaverit. Ita etiam christianae religionis dogma sequatur has decet profectuum leges, ut annis scil. consolidetur, dilatetur

[1] *Common.* 22. „Intellectum". scil. secundum eum modum, quo mysteria intellegi possunt, np. ita ut veritas revelata conceptibus clarioribus et distinctioribus (analogis tamen) apprehendatur et magis removeatur species contradictionis cum principiis rationis: intellectus negativus.

tempore, sublimetur aetate, incorruptum tamen illibatumque permaneat" [1].

226. c. *Disertis verbis et theoretica praedicatione proponere*, quod prius *praxi et consuetudine* potissimum significaverat.

Ita v. g. dogmata de valore et necessitate paedobaptismi, de validitate baptismi ab haereticis collati, de characteribus sacramentorum, de praesentia totius Christi sub qualibet specie singulisque partibus, primis saeculis maxima parte latebant in usu praxique ecclesiarum, ex qua, dirigente ut ita dicam „sensu catholico" [2], in disertam praedicationem transierunt. Idem quodammodo valet de dogmate infallibilitatis pontificiae, quam christiana antiquitas multo magis factis coluit quam verbis:

De hoc profectu dicit VINC. LERIN.: „Denique quid umquam aliud conciliorum decretis enisa est [ecclesia], nisi ut quod antea lentius praedicabatur, hoc idem postea instantius praedicaretur, quod antea securius colebatur, hoc idem postea sollicitius excoleretur" [3].

227. *Corollaria.* a. Diximus profectum subjectivum *praesertim* consistere in tribus: expolitione confusi, explicatione impliciti, theoretica praedicatione practici, sed non contendimus totum profectum, qui est res valde complexa, his tribus exhauriri. Habes praeterea solutionem dubiorum, disertam exclusionem novorum errorum, applicationem principiorum revelatorum ad novas vitae humanae conditiones; habes adhuc declarationem eorum, quae ipsa revelata quidem non sunt sed cum revelatis necessario cohaerent, coordinationem systematicam omnium doctrinarum in unum corpus, defensionem efficaciorem, scholasticam explicationem dogmatum. Sed haec omnia, quatenus reapse differunt a tribus modis praedictis, directius ad profectum *scientiae theologicae* quam ad incrementum subjectivum ipsius fidei catholicae pertinent. Porro inter profectum stricte dogmaticum et profectum theologicum hoc interest, quod *theologia* etiam res non revelatas sibi „assimilat" et suo

---

[1] *Common.* 23. — Consolidari = *vasten vorm krijgen*: dilatari = *uitdijen*; sublimari = *in de hoogte te komen*; *in het oog loopen.* — [2] De *sensu catholico* eu conscientia collectiva ecclesiae, praeclara quaedam habet DE LA BARRE, *La vie du Dogme*, p. 156. — [3] *Common.* 23.

systemati incorporat: praesuppositiones, conclusiones, applicationes, illustrationes dogmatis; quum *profectus dogmaticus*, etsi conceptibus terminisque aliunde petitis multum utitur, quoad ipsam rem conceptam atque expressam nihil superaddit revelationi.

b. Res non ita concipienda est ac si tres modi praedicti sepa- **228.**
ratim decurrerent, reapse diversimode solent *permisceri*, ita ut cognitio et praedicatio ejusdem dogmatis saepius per omnes illos modos profecerit. Ceterum modus primus in omnibus dogmatibus, diversa licet mensura, obtinuit; duo alii non ita.

c. Profectum dogmatis delineavimus secundum notas intellectuales, nec aliter a theologo describi potest, quum totus convergat in pleniorem *cognitionem veritatis;* verum non dicimus, solam speculationem intellectus ad hunc profectum facere: reapse tota vita et praxis christiana ad eum conferunt. Aliunde profectus *religionis* profectu dogmatico et theologico minime exhauritur.

Quaeritur: 2° *Quaenam fuerint hujus profectus occasio et* **229.**
processus.

a. *Occasionem* ut plurimum dederunt controversiae exortae et haereticorum impugnationes. AUGUSTINUS: „Multa quippe ad fidem catholicam pertinentia, dum haereticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius et intelleguntur clarius et instantius praedicantur: et ab adversario mota quaestio discendi exsistit occasio" [1].

Alibi: „Multi qui optime possent Scripturas dignoscere et pertractare latebant in populo Dei nec asserebant solutionem quaestionum difficilium, cum calumniator nullus instaret. Numquid enim perfecte de Trinitate tractatum est, antequam oblatrarent ariani? numquid perfecte de poenitentia tractatum est, antequam obsisterent novatiani? Sic non perfecte de baptismo tractatum est, antequam contradicerent foris rebaptizatores: nec de ipsa unitate Christi enucleate dicta erant quae dicta sunt, nisi posteaquam separatio illa [sub Nestorio] urgere coepit fratres infirmos" [2]. — Item s. GREGORIUS M.: „Sancta ecclesia subtilius in sua semper

[1] *De civ. Dei*, **16**, 2. — [2] *Enar. in Ps. 54*, n° 22; cfr. *De Gen. c. manich.* I, **1**, 2.

eruditione instruitur, dum haereticorum quaestionibus impugnatur" [1].

Ceterum dantur et aliae occasiones: primo ipsa naturalis indoles humani intellectus, qui in veritatem fide acceptam reflectit, eam pro suo modulo penetrare tentat, et pro adjunctis acumen suum modo huic modo illi depositi parti intensius applicat. Deinde profectus disciplinarum naturalium imprimis philosophiae; nam mens humana, quo magis exculta exsistit, eo aptior est ad dogmata eliquanda. Tertio amor et devotio fidelium, quae v. g. in negotio immaculatae conceptionis studia theologorum non parum stimularunt. Sed haec omnia jam non sunt merae occasiones.

230. b. *Processus* admodum varius esse potest; verum si considerantur ea dogmata, quorum praedicatio et cognitio plurimum crevit, generatim *triplex* veluti *stadium* in iis distinguere licet.

In *primo stadio* doctrina implicite vel per solam praxim in praedicatione ecclesiae continetur, et ideo implicite quidem ab omnibus creditur, sed a plurimis obscurius tantum cognoscitur; ad eam in specie vix attenditur, quaestio de ea non movetur. Consequens est, quod monumenta traditionis, quae ex hoc stadio supersunt, pauca admodum vel nulla contineant rei nostrae testimonia *explicita, clara, diserta.*

In *altero stadio* res cognitioni reflexae subjici coepit, et ita quacumque ex causa oritur dubitatio et controversia, num res ita sit, num in fontibus revelationis contineatur, cet. Afferuntur quaedam argumenta, imprimis speculativa: rationes congruentiae, nexus rei cum aliis doctrinis, et deficiente traditione explicita et manifesta, incipit apud quosdam obtinere obscuritas longe major quam antea, inde vero fluctuatio. Nil mirum si in hujusmodi adjunctis nonnulli doctores etiam optimi veritatem in dubium revocant vel etiam impugnant; utique sine fidei catholicae dispendio, quum minime intendant recedere a regula fidei proxima: praedicatione ecclesiae, quae tamen in subjecta materia non est satis manifesta. Quinimo contingere potest, ut in quibusdam ecclesiis particularibus aut in aliquibus scholis theologicis vera traditio oblivioni tradatur et falsa

[1] *Epp.* I. VII, Ep. 3.

quaedam ad tempus introducatur [1]. Nihilominus respectu universalis ecclesiae numquam praevalet sententia erronea; contra accuratior inquisitio sub suavi Spiritus s. directione paulatim difficultates solvit, tenebras fugat, donec tandem.

In *tertio stadio*, quaestionibus eliquatis et maturato ecclesiae judicio, veritas aut per consensum jam universalem magisterii ordinarii indubia redditur, aut etiam per solemnem definitionem manifestissime credenda proponitur et ita per totam ecclesiam explicite creditur.

Corollarium. Disciplina, quae ex ordine describit, qua ratione **231.** res a Deo revelata fuerit, quomodo ab initio usque ad nostra tempora apprehensa, discussa, explicata, defensa, definita fuerit, *historia dogmatum* vocatur. Facile intellegitur historiam dogmatum, dummodo principiis catholicis animetur, utilissimam esse ad fidem intellegendam simul et defendendam [2]. Multum tamen falluntur quidam moderni, qui eam theologiae systematicae fere substituendam ducunt, aut saltem partes theologiae scholasticae minuendas esse autumant.

Quaeritur: 3⁰ *Quaenam sit hujus profectus causa efficiens?* **232.**

Causa efficiens principalis hujus profectus, in ecclesiastica praedicatione et intellectu fidelium obtinentis, est magisterium authenticum ecclesiae (sub assistentia ac directione Spiritus S.), cui tamquam causae secundariae opem ferunt doctores et scholae theologicae: studia theologica.

---

[1] Quanta in aliqua *parte* ecclesiae possit obtinere veritatis obscuratio vivide describit VINC. LERIN., agendo de nova praxi in ecclesiis Africae inducta rebaptizandi haereticos: „Sed forte tunc ipsi novitiae adinventioni patrocinia defuerunt? Imo vero tanta vii ingenii adfuit, tanta eloquentiae flumina, tantus assertorum numerus, tanta veri similitudo, tanta divinae Legis oracula, sed plane novo ac malo more intellecta, ut".... cet. *Common.* c. 6, — [2] Cfr. KATSCHTHALER, *Begriff, Nützen u. Methode der Dogmengeschichte*, in *Zeits. f. k. Theol.* 1882. Hujus disciplinae pater vocari solet DION. PETAVIUS († 1652), *De dogmatibus theologicis;* sed indoles hujus operis magis polemica est quam historica. Veram historiam dogmatum sub finem saec. XVIII inaugurarunt protestantes; ex catholicis eam coluerunt Klee, Ginoulhiac, Bach, Schwane, Tixeront, plures alii, imprimis moderni, qui historiam singularium dogmatum delinearunt.

Sane Christus ecclesiae suae tradens depositum fidei, non aridam formularum collectionem sed thesaurum veritatum altissimarum ac foecundissimarum, apostolos eorumque successores constituit hujus depositi tum custodes tum *doctores*. Doctorum autem est obscura declarare, implicita evolvere, falsas contradicentium interpretationes refellere, cet.

Quum autem magisterium ecclesiae novas revelationes non recipiat, in fungendo suo munere media humana, inquisitionem fontium revelationis et speculationem theologicam adhibere debet. Qui labor maxima parte praestatur per theologos, ut sunt adjutores magisterii authentici. Etsi igitur theologi studiis suis profectum fidei praeparare solent, non ipsi sed magistri authentici habendi sunt causa ejus praecipua, tum quia theologi ut plurimum jussu aut nutu episcoporum studiis sacris incumbunt, tum praesertim quia eorum explicationes et solutiones ab episcopatu dijudicantur, nec in praedicationem ecclesiae influunt nisi in quantum ab episcopatu suscipiuntur; quod primum favendo et commendando, deinde apertius approbando, denique sanciendo fieri solet. Merito igitur in decreto *Lamentabili* proscripta est prop. 6: „In definiendis veritatibus ita collaborant discens et docens ecclesia, ut docenti ecclesiae nihil supersit nisi communes discentis opinationes sancire". Ipsi autem magistri authentici hac in re non naturali suae sagacitati relicti sunt, sed diriguntur a Spiritu s. ipsis promisso, cujus assistentia efficit, ut numquam „eat in errorem quamlibet studiosissima speculatio" [1].

233. Inferes, vel ipsam ecclesiam docentem decursu saeculorum adhuc didicisse, proinde etiam in posterum discere posse, non quidem novarum veritatum acceptione, sed pleniori ac distinctiori intelle-

[1] S. AUGUSTINUS. *Enar. in Ps. 9*, n° 12. — Non negamus utique, etiam theologos Spiritus s. lumine adjuvari posse et reapse adjuvari; sed cavendum est, ne interior ductus Spiritus s. concipiatur ut omnino sejunctus vel etiam quodammodo oppositus ductui externo magisterii. Etiam hac in re applicantur verba LEONIS XIII: „Sancti Spiritus admonitiones et impulsiones plerumque non sine quodam externi magisterii adjumento ac veluti comparatione persentiuntur. Ipse, ad rem Augustinus, in bonis arboribus cooperatur fructum, qui et forinsecus rigat atque excolit per quemlibet ministrum et per se dat intrinsecus incrementum". Lit ap. *Testem benevolentiae*, 22 Jan. 1899.

gentia antiqui depositi, idque per media quidem humana et adjutorio hominum, sed assistente, imo et inducente Spiritu s.. Sane si magisterium ecclesiae quovis tempore habuisset notitiam explicitam et claram omnium dogmatum, quomodo praedicatio publica ecclesiae aliquando fuisset et diu mansisset non manifesta circa quaedam doctrinae capita, subsequentibus saeculis definita? Numquid magisterium ecclesiae consulto tacuit cum agerentur controversiae graves ac diuturnae?

Revera assistentia s. Spiritus magistros ecclesiae authenticos non reddit omniscios, ne in materia revelationis christianae quidem, sed infallibiles; efficit scil. ut, *quando* aliquam sententiam manifeste proponunt credendam, numquam errent, cum praeterea suavis Dei providentia res ita disponat, ut iis non desit cognitio explicita et clara *tunc saltem*, quando bonum ecclesiae exigit ut circa aliquam doctrinam sententia definitiva edatur.

Quaeritur: 4° *Num hic profectus non importet permutationem?* **234.**

Imprimis certum est, incrementum quod explicavimus non importare mutationem in ipsa doctrina revelata, quum ex dictis ecclesia non possit aliquid fide divina credendum proponere, quod non fuit ab initio ecclesiae in fontibus revelationis contentum.

At neque importat veri nominis permutationem in praedicatione ecclesiae seu fide catholica (objective sumptis), sed organicam explicationem sive evolutionem ejusdem praedicationis, ejusdem fidei. Sane ecclesia numquam credendam proposuit veritatem simpliciter novam, i. e. talem quae in antiqua ejus praedicatione non vere latuerat, numquam alicui dogmati alium sensum supposuit, numquam dogma aliquod retractavit vel dimisit, sed *idem veritatum depositum* praedicando, nonnulla ejus capita *alio modo* praedicare coepit, ea accuratius, explicitius, disertius, instantius proponendo. Quinimo ulteriores illae explicationes ideo plerumque definitae sunt, ne genuina traditio corruptionem pateretur.

Quemadmodum igitur vir adultus non alius est ac parvulus, licet singula ejus membra ambitu et viribus multum creverint, quemadmodum fides objectiva docti theologi non alia est ac fides simplicis rustici, licet omnia fere accuratius et explicitius a theologo

cognoscantur, ita praedicatio ecclesiae, quamvis successu temporum magis explicata et evoluta sit, revera semper eadem permansit, quia semper in eumdem sensum, eamdemque sententiam amplificata est: „Siquidem ad profectum pertinet, ut in seipsum unaquaeque res amplificetur, ad permutationem vero ut aliquid ex alio in aliud transferatur" [1].

Addere liceat, quemadmodum natura et indoles determinatae personae facilius et evidentius cognoscitur ex viro maturo quam ex parvulo, ita tota vis et perfectio depositi christiani apertius cognoscitur ex praedicatione exculta ecclesiae hodiernae, quam ex praedicatione in pluribus adhuc obscuriori et implicita primitivae ecclesiae. Quod si valet de praedicatione viva ecclesiae, qualis reapse primis saeculis fuit, quanto magis valebit de eadem praedicatione, qualem eam historice ex monumentis relictis imperfectissime cognoscimus!

235. *Corollarium.* Card. NEWMAN, ut contra anglicanos ostenderet, profectum multiformem (non solum stricte dogmaticum, sed etiam theologicum, liturgicum, socialem) qui in ecclesia romano-catholica historice obtinuit, esse verum progressum organicum seu vitalem, non corruptionem, statuit et applicavit septem notas, quibus legitima evolutio a corruptela dignoscitur [2]; scil.

a. *Conservationem ejusdem typi,* seu physionomiae generalis, propter quam ecclesia hodierna eadem capit attributa, iisdem impetitur vituperiis ac ecclesia primorum saeculorum.

b. *Continuitatem eorumdem principiorum* fundamentalium, quae in omni doctrina ac praxi applicantur.

c. *Facultatem assimilationis,* qua ecclesia sibi incorparavit, i.e. spiritu suo imbuit, usui suo mancipavit quidquid veri ac boni in mundo invenit, imprimis in philosophia graecorum et ritibus paganorum.

---

[1] VINC. LERIN., *Common.* 23. — [2] *Essay on the Development,* P. II, c. 5—12. — Liber hic, etsi animo perfecte catholico conscriptus, non semper omnino accurate atque concinne loquitur. Quid mirum? Erat veluti professio fidei doctoris neoconversi, res delicatissimas pertractantis! — Et lege *Rev. prat. d'apologétique,* t. VI (1908) p. 18.

d. *Consequentiam logicam*, qua doctrinae posteriori tempore explicatae, usus postea invalescentes apte cohaerent tum cum principiis, tum inter se.

e. *Anticipationem futurorum*, qua apud antiquos nonnumquam apparent praesensiones aut inchoationes doctrinarum et praxium posteriorum.

f. *Additionem conservatricem antiqui*, qua additiones novae non auferunt nec minuunt, sed confirmant et consolidant ea quae antea jam tenebantur; quemadmodum cultus Virginis cultum Christi illustrat potius quam obscurat.

g. *Vigorem inexhaustum*, qua ecclesja evolvendo suam doctrinam, suum cultum, suum organismum, nec perit nec senescit, sed vires acquirit eundo.

Scholion 2. *Theoriae falsae.* — A profectu fidei subjectivo, quem catholici admittimus, plurimum differunt theoriae quaedam aut aperte rationalisticae (Harnack, Sabatier) aut rationalismo et subjectivismo imbutae (Günther, Loisy), quae quum nostris temporibus multum ventilentur, breviter exponendae sunt. **236.**

I. *Theoria Harnack* [1]. Essentia christianismi ipsaque religio absoluta est fides (in sensu kantiano) in Deum ut patrem; hanc Jesus ante omnes alios et omnibus aliis perfectius persensit. Religio autem ipsius Christi omni dogmate carebat et tota consistebat in relatione filiali ad Deum intime experta et in amore proximorum. A s. Paulo usque ad initium saec. IV *dogma formatur*, i. e. praeparatur et sancitur christianismus dogmaticus: christiani conceptiones suas de Deo. mundo, rerum fine, oeconomia salutis quibusdam articulis comprehendunt, quos revelationi divinae (scripturis inspiratis et traditioni divinae) tribuentes, ut summam religionis christianae considerant et ad salutem necessarios existimant. Evolutio haec tribuenda est tum aliis causis historicis, tum imprimis spiritui graeco, qui Evangelium in philosophiam religiosam transformavit. Interim christianismus sibi creaverat tum systema

[1] Cfr. *Dogmengeschichte*, Prolegomena et *Das Weseu des Christentums*. Ceterum Harnack in multis sequitur Ritschl.

sacramentorum, tum, per imitationem romani imperii, organismum socialem et hierarchiam: ecclesiam catholicam. Posterioribus saeculis *dogma amplificatur:* siquidem theologi dicuntur quidem antiquas doctrinas distinctius explicasse, reapse autem speculationibus suis indentidem nova invexerunt, quae auctoritas ecclesiastica deinde sub specie traditionis dogmatibus accensuit. Siquidem catholicismus semper media invenit, ut immutabilitatem proclamando, dogmata sua necessitatibus temporum accommodaret, sensum subtilibus distinctionibus immutando. Jam dogmatismus ille, etsi fuit *progressiva quaedam corruptio christianismi,* fidem et principia evangelica non penitus abstulit; imo nonnulli dogmatum assertores reditum ad genuinum evangelium tentarent: s. Augustinus et imprimis Lutherus. Quod autem ille vix inchoavit, hic minime consummavit, id modo perficiendum est ope praesertim historiae dogmatum, ut scil. mentes christianorum a ferreo dogmatum jugo denique liberentur, redeantque ad puritatem Evangelii: fidem vivam in Deum, qui per hominem Jesum nos ad amorem sui hominumque erudivit. Hac tantum via dissidium christianismi et saeculi, fidei et scientiae solvi potest, hac tantum conditione homines exculti religiosi erunt.

Summam rei quod attinet ab his non multum differt *Aug. Sabatier* [1], nisi quod a. originem et augmentum dogmatum nostrorum magis ex factis psychologicis quam ex adjunctis historicis explicat, et b. dogmata in quolibet evolutionis humanae stadio necessaria habet, ut homines per ea sensum religionis (dependentiam a Deo et indigentiam Dei) exprimant. Hinc non eo tendimus, ut habeatur religio sine ullo dogmate, sed ut omnia dogmata, quae pro diversis locorum ac temporum adjunctis sensum religiosum diversimode interpretantur, aequaliter aestimentur.

237. Refellere fundamenta hujus theoriae (quibus omnis actio supernaturalis Dei in mundum excluditur et cuilibet doctrinae religiosae veritas objectiva a priori abjudicatur) non est hujus loci. Formationem et augmentum dogmatum nostrorum quod spectat, haec:

---

[1] *Esquisse d'une philosophie de la religion d'après la psychologie et l'histoire.*

a. Harnack, non applicando principia artis criticae, sed ex praeacceptis opinionibus essentiam christianismi determinat et reliqua omnia a praedicatione Christi eliminat. Numquid historicum agit, qui essentiam Evangelii ex ejus coaptatione cum genio „modernae culturae" dimetitur, „claram visionem viventis" et „altam experientiam magni" in criterium assumit, fontes textusque molestos „quieto animo sepønit"? **b.** Genesim dogmatis maxime fundamentalis (np. divinitatis Christi redemptoris) ita parum explicat, ut ipse tacere nequeat agi de re mirabili, cujus analogiam nulla historia offert! **c.** Ceterum ad mutuationem ipsorum dogmatum ex philosophia graeca concludit, ubi reapse non habetur nisi derivatio terminologiae et explicationis philosophicae, aut ad summum tenuis quaedam ipsius rei analogia. **d.** Incrementum objectivum aestimat quod non est nisi explicatio organica seu profectus subjectivus. Confer ea, quae in probatione singulorum dogmatum a theologis dicuntur [1].

2° *Theoria Ant. Günther* († 1863). **a.** Depositum fidei ab apo- **238.**
stolis accèptum pauca tantum continebat facta historica, paucas doctrinas fundamentales, ex quibus decursu saeculorum universa doctrina catholica effloruit, sub directione quidem Spiritus s. sed ope philosophiae. **b.** Definitiones ecclesiae non simpliciter sed relative tantum verae sunt: exhibent modum concipiendi divinam veritatem pro tempore aptissimum quidem, sed qui proficiente philosophia potest apparere falsus, ita ut in alium sensum mutandus sit.

Haec theoria: **a.** falso nititur supposito; nam depositum apostolicum longe pleraque dogmata, clarius obscurius, explicite continet; **b.** in explicando deposito praecipuas partes tribuit philosophiae, et ita non magisterium ecclesiae sed philosophos constituit doctores fidei; **c.** ipsam doctrinam fidei concipit non ut divinum depositum, sed magis ut inventum philosophicum, humanis ingeniis

[1] Cfr. VAN BREDA, in *De Katholiek*, T. 125, (1904) p. 1 seq.; CHR. PESCH, in *Stimmen a. Maria-Laach*, 60 (1901) p. 41, 154, 257.

perficiendum. Ceterum totius theoriae culmen, assertio de veritate relativa et mutabilitate dogmatum quoad ipsum eorum sensum, solemniter proscripta est a conc. vatic.: „S. q d., fieri posse ut dogmatibus, ab ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intellegit ecclesia, a. s." [1].

239. 3° Theoria *Alfr. Loisy* [2]. Loisy adversus Harnack ostendere voluit, ecclesiam catholicam qualis hodie est non esse corruptionem Evangelii, sed ejus continuationem et evolutionem legitimam, spiritui Christi conformem; nihilominus rem mere historice et critice considerare volens eo devenit, ut diceret, ne substantiam quidem nostrorum dogmatum, sacramentorum, hierarchiae vere et proprie a Christo historico esse profectam. Christus, qui nullam conscientiam propriae divinitatis ostendit, praedicavit poenitentiam et spem regni eschatologici proxime appropinquantis, cui ipse praesideret: en essentiam christianismi, genuinum Evangelium Christi. Haec autem spes Christum fefellit; et loco regni coelorum (regni eschatologici) advenit ecclesia, quae Evangelium continuat, quia poenitentiam administrat et homines ad regnum transscendentale praeparat modo adjunctis historicis accommodato. Siquidem Evangelium, exspectatio scil. regni coelorum est „impulsus vivus", quem Christus generi humano impressit, et ex hoc „motu vivente", ex hoc „facto vivo et complexo" tamquam ex germine foecundo, sollicitantibus adjunctis historicis et necessitatibus generationum insequentium, paulatim prodierunt omnia dogmata, sacramenta, hierarchia ecclesiae. Haec omnia, quum ex Evangelio germinarint, non sunt corruptela, sed vera evolutio; nihilominus nihil eorum

---

[1] Const. *De fid. cath.* can. IV, 3, cfr. cp. 4 in fine; et Brevia Pii IX ad Ep. wratisl. 30 Mart. 1857, ad Ep. colon. 15 Jun. 1857. DENZ. n° 1655 seq. — [2] In operibus: *L'Évangile et l'Église* et *Autour d'un petit livre*, una cum quibusdam aliis ejusdem auctoris operibus in *Indicem* relata decreto 16 Dec. 1903. Similia jam antea scripserat Loisy in diversis periodicis sub nominibus *Després*, *Jacques Simon* et imprimis *A. Firmin*. — Bonam analysim duorum librorum indicatorum habes v. g. in *Rev. Thomiste*, XI, (1903) p. 70 et 593; cfr. etiam egregium art. PORTALIÉ *Le Dogme et l'Histoire*, in *Bulletin de litt. ecclés.* (Toulouse) 1904, p. 62. Cfr. etiam *Rev. prat. d'Apologétique*, t. VI (1908) p. 83 seq.

in evangelio Christi continebatur formaliter, nec etiam eo modo quo conclusio continetur in praemissis. — Jam dogmata ecclesiae non sunt immutabilia; exprimunt non ipsam veritatem divinam, quae immutabilis est sed quam attingere nequimus, exprimunt humanas de ea conceptiones, quae necessario ét inadaequatae sunt ét correspondent mentalitati temporis, quo elaboratae atque sancitae sunt; hinc continuae amelioratione, proinde mutationi subjectae sunt. Reapse plura dogmata (v. g. trium personarum in una essentia, unius personae in duabus naturis) sub influxu antiquae philosophiae ab ecclesia definita sunt formulis ita rigidis, ut pro mentalitate hodierna a contradictione purgari nequeant. Debuissent et debent hujusmodi definitiones mitigari, ut progressui scientiarum et novae philosophiae adaptentur: hac via mysteria diminuentur et fides scientiae reconcilietur. — Nec dicas haec nova esse: nonne ecclesia semper agnovit evolutionem, qua ex germine antiquae fidei novae professionis arbor excrescit? In uno tantum antiqui peccaverunt et generatim adhuc peccant theologi catholici, quod np. evolutionem non satis „vitalem" admittant. Nostri autem temporis profectus est, quod ecclesia hujusmodi „evolutionis" quae de facto semper exstitit, jam conscientiam acquirere incipit!

Theoria haec, remotis verborum involucris et phrasium obscuri- **240.**
tatibus, huc redit: **a.** *Dogmata* nostra etiam fundamentalia *originem habent* non a revelatione supernaturali, sed *ab ipso homine:* sunt interpretationes intellectuales „fidei", conscientiae religiosae, cet [1]. **b.** *Dogmatibus* non *convenit* nisi *veritas,* quae vocatur, *revalita:* conceptus et formulae dogmaticae respondent experientiis et aspirationibus nostris, sensum religiosum apte interpretantur eumque nutriunt, nihil praeterea; nam objectivam realitatem, res divinas quales in se sunt, non tantum inadaequate (quod verum esset), sed nullo modo similitudinarie repraesentant. Sunt veluti notationes algebraicae: signa mere arbitraria quantitatis penitus incognitae. **c.** *Dogmatum evolutio* est continua mutatio, non solum

[1] His valde affinia habet G. TYRRELL in opere *Lex orandi, or prayer and creed* (1904): necnon ERN. ENGELS (pseudonymus), *Religion as a factor of live* (1903).

quoad formulas et vestitum philosophicum sed etiam quoad ipsum eorum sensum seu intellectualem conceptionem. — Quae omnia quantopere a principiis catholicis aliena sint, non est quod explicemus.

Nec proficit quod Loisy indesinenter inculcat, se haec omnia docere ut historicum et criticum, cuncta nihilominus dogmata ecclesiae fide constare, fide legitimari, cet.; nam „fides" isthaec, persuasio scil. ex rationibus mere subjectivis profecta, revera nihil legitimat, nulli reflectioni resistit. Si historia et critica reapse ad conclusiones loisyanas conduceret, fides in sensu catholico jam non esset obsequium rationabile. Fieri quidem potest, ut ex principiis theologicis certioremur de re, quam studia historica defectu documentorum aut nullatenus aut non satis probant; sed absonum est aliquid verum esse in theologia, quod historice falsum probatur, aut vice versa.

Ceterum **a.** quae Loisy asserit de relativitate cognitionis nostrae non historiae sed falsae philosophiae debentur; **b.** ubi reapse in historicis versatur, praeacceptis opinionibus nimium indulget, fontes textusque pro libitu eliminando, facta in suum sensum sollicitando, cet.

Art. V

De veritatibus theologicis.

Nihil *fide divina* credi, nihil ab ecclesia tamquam *fidei dogma* proponi potest, nisi revelatum sit. Gravissimus tamen error esset inde concludere: ergo omnis veritas non revelata absque peccato et absque ulla catholicae professionis jactura [1] impugnari, nulla veritas non-revelata ab ecclesia judicari aut definiri potest [2].

---

[1] Voces „absque peccato et absque ulla catholicae professionis jactura" desumptae sunt ex Encyc. *Quanta cura* Pii IX; Cfr. Denz., *Enchir.* n° 1698. — [2] Cfr. *Syllab.* prop. 22: „Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuuntur, coarctatur in iis tantum, quae ab infallibili ecclesiae judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur". Denz., n° 1722.

Dantur enim sat veritates, non formaliter revelatae, quae propter suam connexionem cum revelatione a viris catholicis assensu congruo teneri debent: *veritates theologicae*, de quibus jam agendum est.

I. *Exsistunt veritates ita necessario cum revelatione connexae,* **241.** *ut negari aut in dubium revocari nequeant, quin ipsa revelatio exinde detrimentum capiat.*

Probatur per ostensionem intimi connexus, quem illae veritates habent cum doctrina revelata.

1° Quaedam veritates et facta, in se non revelata cum revelatione connexa sunt *praesuppositive*, ita scil. ut fides illas necessario praesupponere debeat, quia nisi de iis in antecessum constaret, fides necessario nutaret. Qui e. g. dubitaret, num ratio authenticitatem revelationis per Christum factae cum certitudine probare valeat [1], necessaria consequentia de veritate totius doctrinae dubitare deberet. Qui dubitaret num Pius IX fuerit legitimus b. Petri successor, iterum necessario dubitaret de valore definitionis circa immaculatam B. V. conceptionem ab illo pontifice editae.

2° Aliae veritates cum revelatione connexae sunt *consecutive*, **242.** illae scil. quae per veram illationem certo deducuntur ex una praemissa revelata et altera naturaliter evidenti: *conclusiones theologicae* [2]. Nam qui veritatem talis conclusionis perfracte impugnaret, de facili aut ipse eo deveniret, ut etiam de principio revelato dubitaret, aut saltem aliis talem dubitationem injiceret.

3° Aliae demum veritates cum revelatione connexae sunt *fina-* **243.** *liter*, illae scil. quae versantur circa media necessaria aut utilia ad obtinendum finem revelationis. Huc pertinent judicia de generali disciplina ecclesiae, de approbatione Ordinum religiosorum, de canonizatione Servorum Dei, de juribus ecclesiae [3]. Sane totius revelationis finis est augere gloriam Dei, condere ac dilatare reg-

---

[1] Cfr. DENZ. n° 1627. — [2] Cfr. supra n° **194**, — [3] Cf. e. g. DENZ, n° 601; 1626—1628; 1775; 1776.

num Dei super terram, sanctificare homines. Hic finis obtinetur applicatione veritatum revelatarum ad actiones vitae, quapropter ne revelatio fine suo frustretur, omnibus constare debet, quibus modis applicatio pro diversis adjunctis fieri possit aut debeat. Jam si e.g, unicuique liceret leges disciplinares pro tota ecclesia sancitas, aut vivendi formas ab ea approbatas, ut aeternae saluti noxias traducere; dubitare de sanctitate illorum, quos ecclesia omnibus colendos et imitandos proponit; abjudicare ipsi ecclesiae jura, quibus indiget ut missionem suam exsequatur, finis revelationis quam maxime impediretur et ipsa revelatio practice magna parte inutilis redderetur.

244. Veritates non formaliter revelatae, sed uno ex modis praedictis cum revelatione cohaerentes, directe pertinent ad *custodiam et utilisationem* depositi fidei, et ita indirecte ad ipsum depositum, fidemque catholicam.

Vocantur *veritates theologicae*, aut *theologice certae*, et praecisa interim quaestione de obligatione propositionem per ecclesiam consequenti, ab iis qui necessariam earum connexionem cum revelatione perspiciunt, teneri debent *assensu theologico*; nam ad theologiam seu scientiam fidei pertinet investigare quaenam cum revelatione connectantur et quam arcte cum ea connectantur.

Dico: **a** „praecisa interim obligatione ex propositione per ecclesiam oriunda"; quum enim custodia et utilisatio veritatis revelatae praepositis ecclesiae commissa sit, veritates theologicae non solum ad scientiam theologicam pertinent, sed etiam constituunt objectum secundarium magisterii ecclesiastici.

Dico: **b**. „ab iis, qui necessariam connexionem cum revelatione perspiciunt": nam antecedenter ad judicium ecclesiae, aliquando dubium erit, num res ita necessario cum revelatione cohaereat ut ex ejus impugnatione periculum fidei oriatur, num conclusio, quam nonnulli ex principio revelato deducunt, rite inde deducatur. Hinc opiniones scholasticae, quaestiones disputatae, cet.

245. *Corollarium.* Cum veritatibus theologicis confundi non debent *veritates per accidens inspiratae*, i, e. veritates quoad materiam

profanae sed in Scriptura contentae, qualis v. g. est, quod descriptio, quae compulit b. Virginem ire in Bethlehem, *facta sit a* vel *sub praeside Syriae Cyrino* [1]. Utriusque generis veritates cum religione cohaerent, aliter tamen atque aliter. Veritates theologicae cum religione cohaerent *ratione materiae*, seu objecti circa quod versantur; veritates per accidens inspiratae cum religione cohaerent *ratione dicentis*. Veritates theologicae revelatae non sunt, ac per consequens non constituunt objectum fidei divinae; veritates profanae in Scriptura contentae sunt verbum Dei, proinde constituunt objectum accessorium fidei divinae. Unica quaestio, quae circa has veritates difficultatem facere potest, est: utrum vere, an secundum apparentiam tantum in s. Scriptura contineantur, a. v. utrum loci Scripturae, in quibus referuntur, intellegendi sint in sensu obvio, necne [2].

II. *Veritates theologicae, quas magisterium ecclesiae infalli-* **246.**
biliter docet, tenendae sunt fide ecclesiastica.

Quum infallibilitas ecclesiae in iis quae cum revelatione cohaerent in tract. *De Ecclesia* probata sit [3], auctoritati autem infallibili certe debeatur *assensus absolute firmus*, sola quaestio remanet de nomine et natura hujus assensus, de quibus statim.

Interim observa, infallibilitatem competere ecclesiae non tantum solemniter definienti, sed etiam totum pondus auctoritatis suae per praedicationem ordinariam et universalem exercenti. Hinc assensu absoluto, quem fidem ecclesiasticam vocamus, tenendae sunt veritates theologicae: **a.** quas magisterium infallibile solemniter definivit, **b.** quas magisterium ordinarium per orbem dispersum manifeste omnibus proponit tenendas. Ita v. g. obtinet circa prop.: Benedictus XV est legitimus b. Petri successor; item (si hanc rem formaliter revelatam, proinde fidei dogma forte non habeas [4]) circa prop.: Benedictus XV habet jurisdictionis primatum in universam ecclesiam. Missa enim quaestione, qua ratione primum infallibiliter constare incipiat, hanc personam legitime in locum b. Petri suffectam esse [5], ubi

[1] *Luc.* **2**, 2; cfr. text graec. — [2] Cfr. e. g. *Eccles.*, **1**, 5. — [3] Cfr. *De Eccles.*, n° **87 – 96**. — [4] Cfr. supra n° **200**. — [5] De quo cfr. v g. PALMIERI, *De Rom. Pontif.*², p. 657.

aliquis constanter pontificem gerit et ab omnibus episcopis universaque ecclesia theoretice et practice ut talis agnoscitur, apertum est, magisterium ordinarium et universale legitimam ejus successionem manifestissime attestari.

247. Nomen *fidei ecclesiasticae* ejusque a fide divina discrimen a theologis recentioribus communius admittitur, plures tamen illud respuunt, dicendo assensum, quo tenemus veritates in fontibus revelationis non formaliter comprehensas sed ab ecclesia infallibili judicio propositas, reapse esse fidem divinam [1]. Hac sententia duplici praesertim ratione defenditur.

Dicunt: 1° Etiam in definiendis rebus cum revelatione connexis ecclesia fungitur legatione divina, idque sub assistentia divina. Hinc per ecclesiam legatam suam Deus loquitur: testimonium ecclesiae est testimonium Dei; ergo assensus qui ei debetur est assensus fidei divinae.

Resp. — Ecclesia definiendo connexa fungitur legatione divina, ita ut per ecclesiam Deus loquatur; *distinguo*. — In *sensu stricto*, np. vel ita ut ecclesia nobis proponat veritatem a Deo acceptam, quemadmodum fecere prophetae et apostoli ut erant organa revelationis, vel ita ut ecclesia loquatur ex vera inspiratione motuque Dei, quemadmodum fecere hagiographi, qui non erant causa principalis verbi sui, sed instrumentalis tantum: *nego*. — In *sensu latiori*, np. ita ut ecclesia, exsequendo missionem generalem divinitus impositam, ipsa per modum causae principalis dijudicet, quaenam cum revelatione necessario cahaereant, et pro suo judicio (quod Deus ab errore praeservat variis mediis, sed quae ad revelationem aut veram inspirationem non pertingunt) de iis decreta doctrinalia edat: *concedo*. Siquidem potestas jurisdictionis (sub qua magisterium comprehenditur) non est mere instrumentalis seu ministerialis, sed suo modo principalis [2]: praepositi ecclesiae ex potestate propria seu insita (etsi aliunde accepta) decreta sive doctrinalia sive disciplinaria condunt, quorum causa principalis sunt ipsi, non Deus.

[1] Cfr. v g. SCHIFFINI, *De virt.* p 213. et TUYAERTS. *l'Evolution du Dogme*, Lovanii 1919. p. 85 seq. — [2] Cfr. Tract. *De Eccles.* n° 41. 3°.

Sequitur, testimonium ecclesiae de connexis non nisi in sensu latiori et improprio vocari posse testimonium divinum; etsi enim procedit ab hominibus divina auctoritate munitis et divina assistentia gaudentibus, vere procedit ab hominibus tamquam a causa principali, et ita *intrinsece* est *testimonium humanum*. Testimonio autem humano fides divina convenire nequit.

248. Nihilominus testimonium ecclesiae multum differt ab omni alio testimonio humano, tum dignitate tum imprimis certitudine, quae ei ab *extrinseco* adveniunt; primo *dignitate*, quia profertur ad exsequendum officium generale a Deo impositum, deinde *certitudine*: quum enim quodvis aliud testimonium humanum non praebeat nisi certitudinem simpliciter moralem (fundatam in hypothesi ordinis humano-moralis), testimonium ecclesiae ratione divinae assistentiae praebet certitudinem metaphysico-moralem, et ex hac parte testimonio divino aequiparatur.

Quum igitur testimonium ecclesiae specie differat tum ratione principii a testimonio divino, tum ratione certitudinis a testimonio mere humano, mediumque inter utrumque locum habeat, merito admittitur fides ecclesiastica, medians inter fidem divinam et fidem humanam, sed ab utraque specifice distincta. — Hinc etiam est, quod plures theologi, ut fidem divinam a fide ecclessastica (et assensu religioso, de qua infra) apertius distinguant, vocem *credere* fidei divinae reservent, pro aliis vero assensibus inferioribus nomen *tenere* adhibeant.

249. *Dicunt*: 2° Infallibilitatem ecclesiae in connexis cognoscimus revelatione divina; hinc ubi definitionem de rebus connexis recipimus, proxime quidem assentimur ecclesiae, sed ultimo assentimur ipsi Deo; et ita habetur fides mediate quidem, sed vere divina.

Resp. — Argumentum supponit, naturam fidei pendere non tantum ab ipso motivo proprio assensus (in casu: ab auctoritate ecclesiae) sed etiam a medio quo exsistentiam et valorem hujus motivi didicimus (in casu: revelatio divina); id autem admitti nequit, uti patebit ex iis quae infra de *analysi fidei* dicemus.

Interim haec sufficiant: si positio adversariorum valeret, fides divina dicenda esset mediate humana, nam exsistentia et valor auctoritatis Dei revelantis, ut est motivum fidei, non nisi humanitus cognoscuntur.

250. *Corollarium*: Actus fidei ecclesiasticae, etsi ab actu fidei divinae specie differt, merito refertur ad habitum seu virtutem fidei theologicae; habitus enim generatim se extendunt ad plura secundum quod habent ordinem ad aliquid unum, unde dinstinguuntur actus eorum principalis et alii, qui ad illum referuntur [1]. Et ita unus habitus infusus fidei se extendit ad omnes assensus, qui cum fide divina connectuntur, sive quod ad custodiam et defensionem fidei faciant, sive quod ipsam fidem praeparent ut judicium credibilitatis.

251. III. *Veritates theologicae, quas magisterium ecclesiae mere authentice docet, tenendae sunt assensu religioso.*

1⁰ *Propositio authentica tantum.* Magister authenticus i.e. auctoritativus in ecclesia est, qui jus et officium habet doctrinam de fide vel moribus ita praedicandi, ut subditi hac de causa, np. quia ab hac persona vel hoc collegio missionem legitimam habente proponitur, eam suscipere teneantur.

Qui plenitudinem magisterii habent et totam ejus vim adhibent, infallibiles sunt. Verum **a.** qui plenitudine magisterii pollent, officio docendi fungi possunt quin totum pondus suae auctoritatis adhibeant, i. e. quin sententiam stricte definitoriam edere intendant (quemadmodum v. g. facile obtinet in literis encyclicis summorum pontificum). **b.** Alii magisterio authentico quidem pollent, sed ad plenitudinem magisterii et charisma infallibilitatis non pertingunt: singuli episcopi pro suis dioecesibus, concilia provincialia, cet. pro respectivis provinciis, quaedam congregationes romanae pro tota ecclesia. In his igitur casibus habetur propositio mere authentica aut authentica tantum.

De magisterio *singulorum episcoporum* dicit card. FRANZELIN: „Ex necessitate subordinationis [erga rom. pontificem] et unitatis

[1] Cfr. *S. Th.* I, II, **54**. 4. c.

in doctrina fit, ut eorum authentia referatur duntaxat ad praedicandam et tuendam doctrinam vel explicita definitione, vel consensu ecclesiae, vel per decisiones universalis providentiae [i. e. papae non ex-cathedra loquentis aut congr. roman.] jam propositam, non vero ad controversas inter catholicos quaestiones ex sese decidendas" [1].

Authentia *conciliorum provincialium* latius quidem patet, attamen nec illa solent judicare quaestiones doctrinales vere dubias. „Sapienter monet Fagnanus (ita BENED. XIV) ne in provincialibus Synodis facile quaestiones decidantur inter catholicos doctores controversae et a Sede apostolica hactenus non definitae" [2]. Ceterum illarum synodorum decreta, antequam promulgentur, Romam mitti debent ad s. Cong. Concilii vel de Prop. Fide, ut recognoscantur.

Ex *Congregationibus romanis* quaestiones doctrinales tractat s. Cong. Officii [3], necnon Commissio pontificia de Re Biblica [4]. — SS. Congregationes sunt tribunalia summi Pontificis, a quo jurisdictionem (ordinariam) mutuantur, et cujus nomine ac auctoritate decreta edunt, quae proinde merito dicuntur decreta s. Sedis. Decreta illa eduntur sciente, approbante, confirmante summo Pontifice, attamen quamdiu vere sunt et manent decreta Congregationis, quamdiu ipsa Congregatio vere se habet ut subjectum docens ac judicans, non sunt infallibilia. Decisio, aliquo sensu a s. Congregatione profecta, tunc tantum valorem sententiae ex-cathedralis habet, quando Papa eam facit suam, quando proprie loquendo ipse Papa est subjectum docens et judicans, neque desunt necessaria signa sententiae definitivae universam ecclesiam ligantis, ita ut Congregatio se habeat tantum per modum consulentis aut publicantis [5].

252. 2° *Assensus religiosus* est assensus intellectus, qui datur propter motivum religiosum, np. ex obedientia debita auctoritati religio-

---

[1] *De Trad. et Script.*[8] p. 148, cfr. meum tract. *De Eccles.* n°. **198.** — [2] *De Synodo*, l VII, c 1. — [3] Cfr. *Cod. j. c.*, can. 247. — [4] *Commissionem* hanc, etsi Congregatio non est. hac in re s. Con- gregationibus aequipari patet ex *Motu proprio* Pii X, infra laudando (n° **253**). — [5] Exempla habes apud DENZ. n° 1619 et 1091.

sae, a Christo (immediate vel mediate) constitutae. Differt itaque tum ab assensu theologico, qui datur propter connexionem hujus rei cum revelatione propria mente perspectam, tum ab assensu fidei pure humanae, qui daretur propter auctoritatem mere scientificam seu privatam alicujus doctoris, hujusmodi connexionem attestantis.

Porro nonnulli theologi contendunt, decretis doctrinalibus Congregationum rom. (de quibus potissimum disputari solet, sed quibus alia supra enumerata servata proportione aequiparantur) deberi solum *silentium obsequiosum* seu reverentiale, quo scil doctrinae proscriptae nec viva voce nec scripto doceantur, nihil praeterea [1].

Sententia autem communior, cui omnino adhaerendum putamus, praeterea exigit obsequium mentis per aliquem assensum internum, ut supra. Dico: per *aliquem* assensum; quum enim agatur de auctoritate non-infallibili utique non exigitur assensus firmissimus et omnino irrevocabilis, qualis est assensus fidei, tum divinae tum ecclesiasticae.

Universim loquendo, haud irrationabile est, assensum internum praebere propter auctoritatem non-infallibilem, nam etiam in vita domestica et sociali sexcenties testibus minime infallibilibus intellectum submittimus, non quasi putaremus illos errare non posse, sed quia aut moraliter certi sumus aut saltem rationabiliter praesumimus, eos de facto non errare. Porro si rationi consentaneum est, auctoritati profanae in sua arte credere, quare universim loquendo rationi consentaneum non esset, assentiri decretis s. Congregationum, quae **a.** generatim constant viris et adjuvantur a viris, tum in theologicis disciplinis apprime versatis, tum magna prudentia commendatis; **b.** munere suo funguntur sub oculis summi pontificis et in ecclesiae centro, cum quo universus episcopatus catholicus indesinenter communicat, unde sensum magisterii universalis facilius et plenius quam quilibet privatus cognoscunt; **c.** certe pro gravissimo suo munere peculiari gratia non destituuntur. Jam si

---

[1] Ita v.g. BOUIX, *De papa* p. II, s. 5, § 5; VERMEULEN, *De rom. pontificis in ferenda infra haeresim censura infallibili judicio* (Ultraj. 1874), p, 113; N. PETERS, *Grundsätzl. Stellung*, p. 79.

hujusmodi assensus per se rationabilis exsistit, quare ii, qui legitima missione, proinde auctoritate publica pollent, eum ad suavem simul et tutam fidei ac religionis conservationem a subditis suis *in virtute hujus auctoritatis* exigere non possent? Quod si fit, assensus ille, quum praestetur ex officio subjectionis erga auctoritatem a Christo constitutam, ergo ex motivo religionis, merito dicitur assensus religiosus [1].

253. De facto autem pastores ecclesiae hujusmodi subjectionem et assensum exigunt; nam primo manifestum videtur, magistros authenticos, ubi doctrinas proponunt vel errores rejiciunt, id ea intentione facere ut fideles ac theologi illis mente adhaereant, hos cordate rejiciant. Praeterea non desunt effata explicita. PIUS IX, agens de conventibus theologorum in Germania: „Cum agatur de illa subjectione, qua ex conscientia ii omnes catholici obstringuntur, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis ecclesiae afferant utilitates, idcirco ejusdem Conventus [monacensis] viri recognoscere debent, sapientibus catholicis haud satis esse, ut praefata ecclesiae dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse ut se subjiciant tum *decisionibus, quae ad doctrinam pertinentes a pontificiis Congregationibus proferuntur*, tum iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus adversae, quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram" [2]. PIUS X: „Declaramus in praesens expresseque praecipimus, universos omnes conscientiae obstringi officio sententiis pontificalis *Consilii de Re biblica* ad doctrinam pertinentibus, sive quae adhuc sunt emissae, sive quae posthac edentur, perinde ac decretis ss. Congregationum a Pontifice probatis, se subjiciendi; nec posse notam tum detrectatae

---

[1] Igitur natura assensus religiosi ita brevissime explicatur. Est assensus *fidei* (generice dictae), et ut talis elicitur ab intellectu ex imperio voluntatis. Voluntas assensum *prudenter* imperare potest, quia legitime praesumitur, doctorem authenticum non errare; praeterea ad assensum imperandum movetur obligatione subjectionis erga magisterium a Christo constitutum, ergo motivo obedientiae *religiosae*. — [2] Ep. *Tuas libenter*, 21 Dec. 1863 ad archiep. monac., cfr. DENZ. n° 1684.

obedientiae tum temeritatis devitare aut culpa propterea vacari gravi quotquot verbis scriptisve sententias has latas impugnent; idque praeter scandalum quo offendant, ceteraque quibus in causa esse coram Deo possint, aliis ut plurimum temere errateque pronuntiatis"[1].

254. Nihilominus sicut ipsa propositio mere authentica, ita et assensus religiosus est aliquid in sua specie incompletum ac provisorium. Fieri potest et saepe fit, ut decreta non directe veritatem doctrinae, sed potius ejus securitatem respiciant; securitas autem doctrinae, quaestio scil. num tutum sit hanc rem admittere aut docere, num religio inde detrimentum caperet, nonnihil pendere potest ab adjunctis, imprimis a statu quaestionis, quem ulterior inquisitio, accessio novorum argumentorum immutare possunt. Quod si contingit, decreto: „tutum non est", „tuto doceri nequit", satisfacit qui sibi dicit: haec opinio, qualis hodie explicatur et pro hodierno inquisitionis stadio, non est probabilis et videtur falsa. Neque semper culpandus erit vir doctus, qui spem melioris explicationis non totaliter exuit, imo pro opportunitate novas rationes inquirere pergit. Ceterum etiamsi decretum ipsam veritatem doctrinae directius spectat, assensus semper fundatur in *praesumptione*, quod magisterium authenticum, etsi errare potest, de facto non erravit. Haec autem praesumptio gradus admittit. Ubi decretum aliquod editur, communis conditio subditorum generatim haec erit: vel non habebunt rationes alicujus momenti in contrarium, vel si quas habent, facile sibi dicent: rationes istae magisterio non latuerunt, nihilominus illud a judicio apodictico non retinuerunt, ergo leves et insolidae inventae sunt. Porro qui in hac conditione versantur, sententiae magisterii simpliciter adhaerere debent, saltem ut practice certae, i. e. unice probabili. In casu enim praesumptio in favorem magisterii privatas rationes satis elidit. Quodsi rationes essent graviores, ita ut praesumptionem praedictam nonnihil infirmarent, sufficeret assensus opinativus in decretum tamquam in partem probabiliorem. Quinimo

---

[1] Motu proprio *Praestantia Scripturae sacrae*, 18 Nov. 1907, cfr. *Civilta catt.* 1907, t. IV. p. 515.

contingere posset, ut aliquis homo doctus haberet rationes ita graves et solidas in contrarium, ut ipsi liceret omnem assensum suspendere, donec auctoritas infallibilis intervenerit, servato interim silentio obsequioso. Sed hic casus, utut possibilis, certe rarissimus est, imprimis pro tempore quo decretum editur; nam postea, accedentibus interim novis argumentis, facilius obtinere posset. Igitur obligatio assensus interni accipienda est ut *regula generalis*, quae exceptionem, licet admodum raram, admittit.

Contra ubi res, de qua agitur, plana est et error paucorum manifestus, ita ut decretum non jam dubium dirimat, sed potius certam veritatem tueatur, mirum non est, quod erga hujusmodi decretum aliquando exigatur subjectio intellectus plena ac perfecta [1].

Obligatio assensus religiosi illustrari potest hoc exemplo: quemadmodum superiori legitimo praecipienti debetur obedientia voluntatis, nisi adsit vehemens suspicio ipsum inhonesta jubere; ita magistro authentico docenti debetur obedientia intellectus, nisi in casu adsit vehemens suspicio illum errare.

Corollarium. Quae supra de veritatibus cum revelatione connexis diximus, etiam applicantur iis rebus, quas magisterium mere authenticum ut revelatas proponit.

IV. *Eodem assensu religioso tenendae sunt veritates theologicae,* **255.** *quas theologi communiter et constanter ut certo tenendas proponunt.*

Requiritur **a.** consensus non alicujus scholae tantum sed moraliter universalis, i. e. omnium scholarum, et quidem consensus non unius aut paucarum generationum, sed qui constanter obtinet [2]. **b.** Consensus in rem ut certam, nam consensus mere opinativus, utut

---

[1] Hinc explicandae videntur Lit. ap. *Eximiam tuam*, 15 Junii 1857, ad archiep. colon. in causa Güntheriana; ep. card. Patrizi nomine summi pontificis data ad ep. Belgiae, 30 Aug. 1866 in causa prof. Ubaghs. Cfr. GRANDERATH, *Die Machtvollkommenheit der römischen Congregationem bei Lehrdecreten*, in *Zeits. f. kath. Theol.* 1895, p. 623. — [2] Sapienter monet *Theologia wirceb.* (T. I, n° 237): „Cavendum, ne unanimis doctorum consensus nimis confidenter aut temere asseratur, nisi saltem inspectio praecipuorum et magis celebrium auctorum de reliquis id contestantium fidem fecerit." Et notandum, quod posteriores theologi scholastici saepius „communem" vocant doctrinam, quam plures quidam probati auctores tenent, sed contradicentibus multis aliis. Cfr. PESCH, *Prael. dogm.*, I. n° 599.

universalis, non ligat. Denique requiritur **c.** ut theologi saltem aequivalenter doceant, rem subjectam ita necessario cum revelatione cohaerere, ut absque periculo fidei aut religionis in dubium revocari nequeat.

Assertum constat ex verbis Pii IX supra laudatis, qui veritates de quibus agimus aequiparat iis, quas magisterium authenticum docet. Ratio est intimus nexus scholarum theologicarum cum magisterio ecclesiae, vi cujus omnino praesumendum est, consensionem scholarum exprimere sensum magisterii ordinarii et universalis; unde simul vides, assensum proprie non exhiberi theologis authentiam non habentibus, sed magisterio ecclesiae, cujus sensum theologi cum morali quadam certitudine manifestant.

Art. VI

De censuris theologicis

Duplici modo ecclesia nos docet, quid fide divina credi, quid alio assensu congruo teneri debeat: tum affirmando talem doctrinam in revelatione contineri aut saltem indivulse cum ea connexam esse, tum rejiciendo doctrinas revelationi plus minusve contrarias. Doctrinae autem ita prohibitae saepe aliqua *censura* notantur.

256. I. *Censurarum notio et species.* — Censurarum duplex genus est; censurae *ecclesiasticae*, quibus ecclesia animadvertit in personas delinquentes et contumaces, de quibus agunt canonistae; et censurae *theologicae*, quae directe cadunt in doctrinas.

Censura theologica definiri potest: qualificatio, qua propositio notatur ut fidei aut religioni plus minusve nociva.

Distinguitur censura: **a.** *mere doctrinalis* (seu privata), quae infligitur a viris doctis, magisterium authenticum non habentibus; tales erant censurae, quas olim theologicae Universitatum facultates inurere consueverant; **b.** censura *authentica* (publice, judicialis), quae infligitur a magisterio ecclesiastico infallibilli aut saltem authentico. De sola censura authentica loquimur; mere doctrinalis,

ut liquet, tantum valet, quantum valent ingenium et rationes infligentis [1].

Corollarium. A censura theologica differunt tum nuda prohibitio alicujus libri, uti e. g. fit per relationem in *Indicem*, tum decreta disciplinaria, quibus interdum pacis causa et ad vitandum scandalum interdicitur publica defensio alicujus doctrinae aut controversiarum continuatio.

II. *Modus infligendi censuras.* — 1° Censurae infliguntur aut **257.** categorice aut in globo.

a. *Categorice*, quando singulis propositionibus damnabilibus additur censura ipsis conveniens. Saepe alicui propositioni adjiciuntur plures notae, quae non synonymae sunt habendae, sed diversos damnabilitatis gradus exprimunt. Exemplum damnationis categoricae praecipuum habes in bulla Pii VI: *Auctorem fidei* [2].

b. *In globo* seu cumulative, quando non singulis sententiis singulae censurae adjiciuntur, sed toti elencho propositionum adduntur quaedam censurae in unum congestae. Censurae illae tunc propositionibus conveniunt *respective*, i. e. singulae propositiones relatae saltem unam ex adjectis censuris merentur, et singulae censurae adjectae saltem in unam ex relatis propositionibus cadunt. Exemplum habes in damnatione prop. Mich. de Molinos et Quesnelli [3].

2° Propositiones censura feriuntur aut prout jacent, aut in **258.** sensu auctoris.

a. Dicuntur damnari *prout jacent*, quando propositiones, quales in decreto damnationis referuntur, etiam absque inspectione contextus ex quo desumptae sunt, cet., sensum damnabilem aperte manifestant. Exemplum habes DENZ. *Enchir.*, n° 1151—1215.

b. Dicuntur damnari *in sensu auctoris*, quando propositiones in concreto quidem, i. e. apud auctorem ex quo desumptae sunt, habent sensum pravum, sed ita comparatae sunt, ut per se ac nude sumptae, quales in instrumento damnationis habentur adhuc

---

[1] Ceterum vide prohibitionem Innocentii XI; DENZ. n° 1216. — [2] Cfr. DENZ. n° 1501 seq. — [3] Cfr. DENZ. n° 1121—1288 et 1351—1451.

possint rationabiliter intellegi in sensu sano. — Probe advertatur, sensum auctoris non esse eum, quem auctor forsan interius sibi finxit, sed illum, quem verba apud hunc auctorem in hoc contextu objective exprimunt. Exemplum damnationis in sensu auctoris habes DENZ., *Enchir.*, n° 1001—1079.

Ad damnationem in sensu auctoris refertur casus, quo propositio configitur non praecise propter ipsum sensum, quem verba directe exhibent, sed vel propter modum loquendi injuriosum aut scandalosum, vel propter tendentiam seu intentionem subintellectam auctoris. Exempla habes apud DENZ., *Enchir.* n° 1441, 1525, 1450; nam intentio subintellecta auctoris erat: haec omnia in nobis, Jansenianis, verificantur.

259. III. *Quarumdum censurarum explicatio.* — Valde multae a theologis enumerantur censurae; quae magis usitatae sunt inveniuntur in Constitut. *Unigenitus* Clementis XI, et in Bulla *Auctorem fidei* Pii VI [1]. Nos praecipuarum tantum et earum, quae aliquam difficultatem pariunt, significationem exponemus.

1° *Haeretica* dicitur propositio, quae certo et directe opponitur, sive contradictorie, sive contrarie *dogmati*, in sensu stricto [2]. Notorie haeretica dicitur, si ex ipsis terminis evidenter pugnat cum dogmate solemniter definito.

Affines sunt censurae sequentes:

a. *Haeresi proxima* dicitur propositio directe opposita doctrinae, quae est *fidei proxima* [3].

b. *Haeresim sapiens* dicitur propositio, quae grave praebet fundamentum timendi ne lateat haeresis; quodsi fundamentum illud rationabile quidem, sed non ita grave est, propositio dicitur *suspecta de haeresi*. Quaedam propositiones ex se haeresim sapiunt,

[1] Cfr. DENZ. n° 1451 et 1501. — [2] Cfr. supra n° 210. — Hinc patet ad haeresim requiri ut impugnetur doctrina, quae **a.** revelata est et **b.** manifeste ab ecclesia credendæ proponitur. Doctrina quae veritatem revelatam quidem, sed ab ecclesia nondum manifeste propositam impugnat, dici potest *materialiter* haeretica, sed vera haeresis (formalis) non est; notio enim haereseos includit oppositionem contra communem ecclesiae professionem. Facile intellegis, haeresim objectivam non necessario includere haeresim subjectivam: doctrina enim (formaliter) haeretica propugnari potest absque animo haeretico, proinde absque crimine haereseos. — [3] Cfr. supra n° 212, 4°.

v. g. „ridiculum est circumferre Eucharistiam per vias publicas"; aliae id faciunt ex adjunctis personarum aut temporum, v.g. „fides justificat", in ore lutherani, „Christus est minor Patre", in ore ariani, „Christus est decus morum" vel „humanitatis", in ore moderni protestantis. Alia exempla habes apud DENZ. *Enchir.* n⁰ 1522, 1528.

2⁰ *Erronea* [1] dicitur propositio, quae directe opponitur veritati prorsus certae, et saltem indivulse cum revelatione connexae.

Dico: „*saltem* cum revelatione connexae", quia censura erroris etiam applicatur propositioni adversanti doctrinae prorsus certae, et quam plurimi theologi revelatam habent. Talis autem doctrina saepe erit fidei proxima, unde sequitur, omnem propositionem haeresi proximam etiam esse erroneam, sed non vice versa. — Ita dicimus post card. FRANZELIN [2]; theologi enim in declaranda specifica notione erroris nonnihil differunt.

3⁰ *Temeraria* [3] dicitur propositio, quae sine sufficienti fundamento recedit a doctrina theologica vere communi in ecclesia, aut quae consuetudini vel institutis in ecclesia approbatis opponitur, Exempla sunt DENZ., *Enchir.*, n⁰ 1540, 1531, 1544. Propria ratio „temeritatis" in eo est, quod gravis auctoritas in rebus fidei et morum parvi pendatur. — Hae tres np. haeretica, erronea, temeraria, sunt censurae praecipuae.

4⁰ Censura *falsitatis* diversimode explicatur, Alii dicunt „falsi- **260.**
tatem" non esse sumendam ut notam specificam, sed ut qualificationem generalem omni propositioni damnabili suo modo convenientem alii eam habent ut notam specialem, notae „erroris" affinem, dicunt enim „falsam" appellari propositionem, quae adversatur veritati aut facto praesuppositive cum revelatione connexo [4].

5⁰ *Male sonans* vocatur propositio, quae sensum fidei congruum verbis incongruis exprimit, qua in re multum pendet ab indole linguarum. Ita v. g. inter latinos male sonat: „Pater est causa Filii" [5]; item si apud nostrates b. Virgo diceretur „divina mater" (pro: mater Dei).

[1] Loquimur de significatione *specifica* hujus censurae. nam si vox „error" in latiori sensu sumitur etiam haereses comprehendit: ita e. g. dicitur: „Syllabus 80 *errorum*". — [2] *De Trad.* [3] p. 151. — [3] Iterum loquimur de significatione *specifica* hujus censurae. — [4] Cfr. G. M. JANSEN, *Prael. dogm.* I, p. 871. [5] Cfr. *S. Th.* I, **33**, I.

6° *Captiosa* est, quae verbis bene sonantibus pravum sensum exprimit; e. g. DENZ., *Enchir.*, n° 1368.

7° *Piarum aurium offensiva* est, quae per modum loquendi laedit reverentiam sanctis debitam; e. g. haec precatio: S. Maria Magdalene, meretrix, o. p. n.

261. IV. *Damnatarum propositionum usus.* — Cognitio propositionum, quibus ecclesiasticum magisterium aliquam censuram inussit, theologo valde utilis est, quum exinde discat, non solum quid vitare, sed etiam quid tenere debeat, nam manifestatio erroris natura sua veritatem oppositam patefacit. Ut autem rite intellegatur, quidnam praecise ecclesia per suam censuram rejecerit, quaenam doctrina exinde ut sana retinenda sit, haec adjungimus.

1° Considerandum est, utrum censura inflicta sit propter sensum ipsum propositionis, an propter solum modum loquendi injuriosum aut intentionem subintellectam. — Facile intellegitur, ex damnatione propter modum loquendi, cet. inferri non posse falsitatem ipsius propositionis aut veritatem sententiae contradictoriae.

Censura *non tuta,* quamvis de falsitate propositionis magnam ingerat praesumptionem, eam tamen non necessario importat.

262. 2° Quando propositio propter ipsum sensum notata est, sententia ei *contradictorie* opposita retinenda est ut vera ac sana (vel saltem ut tuta).

Dico: „*contradictorie* opposita", nam quum duae propositiones contrariae possint esse simul falsae, ex damnatione unius non potest inferri veritas alterius. Praeterea:

a. Accurate investigandus est sensus propositionis damnatus, ad quod saepe necessarium erit consulere documenta, quae damnationem illustrare possunt. Vide e. g. DENZ., *Enchir.*, n° 1762 et 1780. — In specie attendendum est, utrum damnata propositio sit absoluta an modalis. Vide e. g. DENZ. *Enchir.*, n° 1093 et 1096.

b. In propositionibus complexis videndum est, utrum in sensu complexo an in sensu distributivo notatae sint; ad quod praeter documenta damnationis aliquando etiam analogia fidei respicienda erit. Vide e. g. DENZ., *Enchir.*, n° 1184, 1186 et 1763.

V. **Scholion**. *De Syllabo.* — Exemplum celebre proscriptionis propositionum absque censura addita est *Syllabus, complectens praecipuos nostrae aetatis errores, qui notantur in allocutionibus consistorialibus, in encyclicis, aliisque apostolicis literis ss. d. n. Pii pp. IX* [1]. Syllabum hunc una cum enc. *Quanta cura* card. Antonelli jussu pontificis ad universos episcopos misit die 8 Dec. 1864, haec. adjiciens: „SS. d. n. Pius IX, de animarum salute ac de sana doctrina maxime sollicitus, vel ab ipso sui pontificatus exordio numquam destitit, suis epistolis encyclicis et allocutionibus in consistorio habitis et apostolicis aliis literis in vulgus editis, praecipuos hujus praesertim infelicissimae aetatis errores ac falsas doctrinas proscribere et damnare. Cum autem forte evenire potuerit, ut omnia haec pontificia acta ad singulos ordinarios minime pervenerint, idcirco idem summus pontifex voluit ut eorumdem errorum syllabus ad omnes universi catholici orbis sacrorum antistites mittendus conficeretur, quo iidem antistites prae oculis habere possint omnes errores ac perniciosas doctrinas, quae ab ipso reprobatae et proscriptae sunt. Mihi vero in mandatis dedit, ut hunc Syllabum ad te perferendum curarem . . ."

Quaeri solet, num propositiones Syllabi proscriptae sint judicio infallibili an authentico tantum.

Plures theologi docuerunt, ipsam editionem Syllabi fuisse actum ex-cathedralem summi pontificis; sed haec opinio non sustinetur, siquidem confectio et promulgatio Syllabi nomine quidem pontificis facta est, sed non per ipsum pontificem. Alii (e. g. Rinaldi [1]) ipsum Syllabum considerant ut elenchum authenticum tantum, sed elenchum errorum jam alias infallibili judicio damnatorum; quod de multis quidem certum est, num vero de omnibus sustineri possit, non ita liquet (Fessler [2], Biederlack [3]).

Nunc autem Syllabus ab universo episcopatu catholico apertissime receptus, approbatus, promulgatus exsistit, unde plerique theologi inferunt, ei hinc saltem infallibilem auctoritatem competere; nihilo-

[1] Cfr: DENZ. n° 1701 seq. — Quanta sollicitudine Syllabus inde ab 1852 praeparatus fuerit, invenies apud *Hourat, Le Syllabus*, 1904 (in coll. *Science et Religion* n° 299—301). — [2] *Il valore del Sillabo*, in *Civilta catt.* 1888, cfr. FRANZELIN, in *Etudes* T. 47 (1887) p. 353; et BOUDINHON, in *Rev. du Clergé français*, 42 (1905) p. 412. — [3] *Die wahre u. die falsche Unfehlbarkeit der Päpste* (1871), p. 57. — [3] *Staatslexikon der Görresgesellschaft*, in voce: *Syllabus*.

minus adhuc nonnulli contradicunt [1], hac ut opinor innixi ratione, quod episcopatus, summo pontifici assentiendo, ultra ejus intentionem procedere noluit.

Igitur licet valor infallibilis Syllabi quoad omnes et singulas ejus propositiones sit probabilior, certus non est. Practice tamen nemo catholicus ambigit, cunctas propositiones Syllabi, utpote magisterio saltem authentico proscriptas, ex animo rejiciendas esse.

264. Rejiciendae autem sunt in sensu ab ecclesia intento, et secundum gradum quo damnatae sunt.

In sensu ab ecclesia intento; nam in quibusdam propositionibus, si per se considerantur, non ita facile dijudicatu est, quidnam praecise ecclesia rejicere intenderit, quid vi hujus damnationis ab omnibus retinendum sit. Pleraeque rejectae sunt in sensu auctoris, nonnullae sin minus unice saltem praecipue propter intentionem subintellectam. Hinc ad cognoscendum sensum damnatum saepe indispensabilis est recursus ad documenta pontificia, quae post singulas propositiones indicantur.

Secundum gradum, quo damnatae sunt; nam etsi omnes damnabiles sunt, non sequitur omnes eodem modo et eodem gradu fidei ac religioni nocivas exsistere. Inveniuntur in Syllabo tum haereses ipsa religionis fundamenta evertentes, tum propositiones quae inferiorem tantum censuram merentur.

Ad intellegendum Syllabum, praeter *Acta ss. d. n. Pii, pp. IX, ex quibus excerptus est Syllabus* [2], egregie inserviunt TOSI, *Vorlesungen über den Syllabus errorum* [3], et HEINER, *Der Syllabus in ultramontaner u. antiultramontaner Beleuchtung* [4].

CAPUT II
DE ACTU FIDEI DIVINAE

Ut naturam, genesim, proprietates fidei divinae rite exponamus, dicendum erit in *art. I* de principiis subjectivis, quae actum fidei

[1] Cfr. v. g. Card. NEWMAN, *A lettre to the Duke of Norfolk on occasion of Mr. Gladstone's recent expostulation* (1875), p. 84. — [2] Romae, 1865. — [3] Vindobonae, 1865. — [4] Moguntiae, 1905; cfr. etiam V. FRINS, in *Kirchenlexikon*, in voce: *Syllabus*, IV.

producunt, in *art. II* de praeparatione actus fidei, in *art. III* de analysi fidei, in *art. IV* de proprietatibus, denique in *art. V* de subjecto et necessitate fidei.

Art. I

De principiis subjectivis actus fidei

Prop. **Actus fidei salutaris elicitur ab intellectu, ex imperio voluntatis, sub adjutorio divinae gratiae.** 265.

Enumerantur tres causae seu principia subjectiva, quae ad productionem actus fidei salutaris cooperari debent: intellectus, voluntas, gratia.

Intellectus est subjectum proximum seu *principium eliciens* fidei; quod tenendum est tum contra protestantes, qui, asserendo firmam acceptae justitiae fiduciam esse de ratione ipsius fidei, docent „assensionem" fidei „magis esse cordis quam cerebri et affectus magis quam intellegentiae" [1]; — tum contra plures modernos, qui fidem ad „sensum," quemdam seu affectum reducunt. *Certum* est ex conc. vatic., quod fidem definit ut virtutem, qua a Deo „revelata vera esse credimus" cet. [2].

Voluntas est principium imperans fidei. — *De fide* est ex dogmate de libertate fidei, de qua in *art. IV*. Porro imperium voluntatis, quo intellectus ad assensum fidei determinatur, quatenus ex gratia provenit, a theologis vocari solet *pius credulitatis affectus* [3].

Gratia requiritur, ut actus fidei possit esse talis qui sit „humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis," i. e. salutaris seu supernaturalis, nam ad hujusmodi actum producendum intellectus et voluntas physice impares sunt, nisi influxu Dei supernaturali eleventur et adjuventur. Necessitas gratiae intellegenda

---

[1] Calvinus, *Instit.* III, 2, 8. — [2] Cfr. supra n° **183.** — [3] Cfr. Conc. arausic. II, can. 5; Denz. n° 178. Vox *credulitas* etymologice non *nimiam* credendi facilitatem significat, sed solam promptitudinem animi ad credendum illud, quod sufficienti auctoritate commendatur. Vox *pius* in casu idem sonat ac super naturalis.

est de omni fide salutari, i. e. non de sola fide formata, sed etiam de informi. *Dogma fidei* est ex conc. vatic.: „Nemo evangelicae praedicationi consentire potest sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus s. . . . . Quare fides ipsa in se, etiamsi per charitatem non operetur, donum Dei est" [1]. Ceterum quum haec res ad tract. *de Gratia* pertineat, pleniorem ejus explicationem hoc loco omittimus.

266. *Probatur.* — 1° Pars *prior*: **a.** ex s. *Scriptura*: „Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est . . . . Fide intellegimus, aptata esse saecula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent" [2]. „Nos credimus et cognovimus, quia tu es Christus, filius Dei" [3]. „Quodsi confitearis in ore tuo dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris" [4]. His textibus probatur objectum fidei esse verum, unde merito s. THOMAS: „Credere immediate est actus intellectus quia objectum hujus actus est verum, quod proprie pertinet ad intellectum" [5]. — Praeterea s. Paulus docet, praedicatores Evangelii eo tendere, ut in captivitatem redigant intellectum: „Consilia destruentes et omnem altitudinem, extollentem se adversum scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi" [6]. Igitur fides Evangelii formaliter ad intellectum pertinet. — Denique Scriptura fidem aperte distinguit a spe et charitate [7], fidem ut cognitionem obscuram visioni opponit [8], et asserit fiduciam atque confidentiam per fidem haberi, i. e. ex fide oriri [9]. — **b.** Ex *Traditione*, cujus testis est antiquissima consuetudo a catechumenis exigendi professionem praecipuorum mysteriorum religionis, in symb. ap. comprehensorum. Hinc enim manifestatur constans ecclesiae persuasio, fidem, quae justificationis initium est, esse assensum intellectus in mysteria revelata, minime vero firmam fiduciam acceptae justitiae.

---

[1] Const. *De fide*, cp. 3; cfr. can. III, 5. — [2] *Heb.* **11**, 6, 3. — [3] *Jo.* **6**, 70. — [4] *Rom.* **10**. 9. — [5] *S. Th*, II, II, **4**, 2. — [6] *II Cor.* **10**. 5. — [7] *I Cor.* **13**, 13: „Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria haec." — [8] *II Cor.* **5**, **7**: „Per fidem enim ambulamus et non per speciem." — [9] *Eph.* **3**. 12: „In quo [Christo] habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem ejus."

2° Pars *secunda:* **a.** ex *s. Scriptura*, ubi fides praecipitur et credenti praemium, non credenti poena intimatur: „Et hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus J. C. et diligamus alterutrum" [1]. „Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur" [2]. — **b.** Ex *Traditione:* s. IRENAEUS: „Non tantum in operibus, sed etiam in fide liberum et suae potestatis arbitrium hominis servavit Dominus; et propter hoc is qui credit ei, habet vitam aeternam, qui autem non credit Filio, non habet vitam aeternam, sed ira Dei manebit super ipsum" [3]. **267.**

3° Pars *tertia:* **a.** ex *s. Scriptura:* „Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini" [4]. „Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est" [5]. „Nemo potest venire ad me [per fidem], nisi Pater, qui misit me, traxerit eum" [6]. — **b.** Ex *Traditione:* s. AUGUSTINUS in textum proxime laudatum: „Et tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant" [7]. Et alibi: „Suasionibus agit Deus, ut velimus et credamus; profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine" [8]. **268.**

Corollarium. Pius credulitatis affectus et judicium speculativo-practicum, quo nititur: obligatio mihi incumbit hanc rem fide divina credendi (judicium credenditatis, de quo infra), vocantur *initium fidei*; gratia autem illuminationis et illustrationis hos actus praeveniens dicitur gratia vocationis, seu *vocatio* ad fidem. Vocatio haec est donum Dei gratuitum, quod sicut nemini adulto nisi propter suam culpam negatur, ita nullo opere naturali promereri potest. **269.**

---

[1] *I Jo.* **3**, 23. — [2] *Mc.* **16**, 16. — [3] *Adv. Haer.* IV, **37**, 5, — [4] *Phil.* **1**, 19.— [5] *Eph.* **2**, 8. — [6] *Jo.* **6**, 44 cfr. 65—66. — [7] *C. duas ep. Pelag.* I, **19**, 37. — [8] *De Spir. et lit.* **34**, 60.

Art. II

De praeparatione actus fidei

Ut homo actum fidei prudenter elicere queat, eamque reapse eliciat, plura requiruntur tum ex parte intellectus tum ex parte voluntatis. Hinc duo §§.

§ 1. De praeparatione fidei ex parte intellectus [1]

270. Qui primam Veritatem revelantem immediate audiret, et ita audiret ut simul intellegeret, se audire primam Veritatem, absque ulla peculiari inquisitione assensum fidei elicere posset; objectum enim tum materiale tum formale immediate perciperet. Aliter res se habet quoad nos, quibus Deus non immediate loquitur. Antequam nos credere possumus, necesse est, ut objectum tum formale tum materiale fidei nobis personaliter applicetur, nostroque intellectui praesens reddatur. Objectum formale fidei intellectui nostro applicatur, quando certioramur de auctoritate Dei et facto revelationis; objectum vero materiale, quando veritates in revelatione contentae nobis innotescunt. Hinc ex parte intellectus ad praeparationem fidei tria pertinent: cognitio auctoritatis Dei, certitudo de facto revelationis, intimatio veritatum credendarum.

De cognitione auctoritatis Dei nihil specialiter dicendum est: exsistentia Dei, entis perfectissimi, neminem ductum rectae rationis sequentem fugit [2], et ex notione etiam confusa entis perfectissimi unusquisque statim infert, Deum nec falli nec fallere posse.

Quaestio potissimum agitur de cognitione facti revelationis. Quum autem de sola fide divino-catholica ex professo agamus, sub nomine „facti revelationis" hic intellegimus factum revelationis christiano-catholicae, i. e. factum seu verius facta, quod Christus ejusque

---

[1] Cfr. Gardeil, *La Crédibilité et l'Apologétique*, 1908; cfr. Bainvel in *Rev. prat. d'Apolog.* 1908, t. VI. p. 161. — [2] Constat ex philosophia, et confirmatur ex revelatione in tract. *De Deo uno*, n° **6**. seq.

apostoli fuere praecones revelationis divinae, et quod ecclesia romano-catholica hanc revelationem tuto conservat et proponit.

De intimatione veritatum credendarum pauca adjiciemus in scholio.

I. Imprimis tenendum est, *ante actum fidei divino-catholicae* **271.** *requiri certitudinem de facto revelationis,* in sensu exposito [1]. — Certitudo est firma adhaesio intellectus in unam partem contradictionis, absque formidine oppositi. Itaque certitudo est status subjecti cognoscentis, habitudo intellectus respectu enuntiationis, unde apprime distinguenda est ab evidentia seu illucentia veritatis, quae nonnumquam certitudo objectiva vocatur. — Assertio constat ex damnatione per Innocentium XI hujus prop.: „Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine qua quis formidet, ne non sit locutus Deus" [2].

Probatur ratione theologica. Assensus fidei debet esse firmus, imo firmissimus. Atqui voluntas hujusmodi assensum imperare nequit, nisi de facto locutionis divinae certo constet. — Consequenter s. Petrus fidelibus persecutioni expositis commendavit, ut essent „parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quae in vobis est spe" [3].

II. Ab alia parte dicendum est, ad actum fidei sufficere *quamlibet* **272.** *speciem certitudinis* de facto revelationis, i. e. omnem determinationem intellectus ad unum, *formidinem oppositi actu excludentem.* — Ratio: quoties hujusmodi persuasio adest, actus voluntatis fidem imperantis semper prudens est ac rationabilis. Hinc:

1° Non requiritur certitudo metaphysica aut physica, sed sufficit *certitudo moralis* [4]. Sane certitudo moralis, ea scil. quae nititur-

[1] Consequenter ad actum fidei *simpliciter* divinae requiritur et sufficit certitudo de facto revelationis in sensu restricto, i. e, locutionis divinae, quocumque modo factae et quacumque ratione ad nos perductae. Cfr. supra n° **184** et **189**.

[2] DENZ. n° 1171; cfr. theses quibus a. 1840 Bautain subscribere debuit, DENZ. n° 1622–1627. Affinis est prop. 25 in decreto *Lamentabili* proscripta: „Assensus fidei ultimo innititur in congerie probabilitatum. DENZ. n° 2025.

[3] *I Petr.* **3**, 15.

[4] Intellege certitudinem moralem in *sensu proprio*, non magnam illam probabilitatem, quae, quum ad prudenter agendum plerumque sufficiat, a moralistis saepe certitudo moralis vocatur.

argumentis stabilitatem ordinis moralis supponentibus, est vera certitudo. Etsi enim motiva, quae eam pariunt, plerumque non ita comparata sunt, ut omnem dubitandi possibilitatem excludant, excludunt saltem possibilitatem prudenter dubitandi, et ita sufficiunt ad generandam in homine sincero adhaesionem, cujus firmitas nulla formidine oppositi minuitur. — Aliunde secluso interventu Dei miraculoso, factum revelationis a nobis non nisi morali certitudine cognosci potest, nam tum miracula et vaticinia divinam legationem Christi probantia, tum institutionem ecclesiae cum promissionibus ei factis testimoniis humanis cognoscimus; reliqua etiam quae afferri solent argumenta, imprimis miracula in ordine morali, leges morales, i. e. modos constantes et uniformes agendi hominum, supponunt. Igitur nisi certitudo moralis de facto revelationis sufficeret, fides, quam Deus tamen universaliter exigit [2], jam universaliter impossibilis esset.

273. 2° Non requiritur certitudo scientifica, sed sufficiunt tum *vulgaris certitudo absoluta*, tum etiam *certitudo*, quae vocatur *respectiva*.

Certitudo *absoluta* est, si nititur motivis, quae objectivam rei veritatem necessario manifestant, quae proinde sufficiunt ad persuadendum omni homini, etiam sagaciori (dummodo sincerus sit et bonae voluntatis). Quod si hujusmodi motiva percipiuntur quidem, sed ita ut minus distincte, minus perfecte et imprimis minus reflexe cognoscantur, habetur certitudo *vulgaris*; sin vero distinctius et reflexe cognoscuntur, ita ut clare exponi et vindicari queant, habetur certitudo *scientifica* seu philosophica, quae et ipsa perfectior et minus perfecta esse potest.

Certitudo *respectiva* praescindit ab objectiva dignitate rationum, quibus gignitur; nititur rationibus, quae vel non necessario cum veritate connectuntur, vel ita defectuose cognoscuntur, ut necessaria eorum connexio cum veritate mentibus acutioribus dubia esset, sed quae nihilominus de facto sufficiunt ad persuadendum huic intellectui, vel tenuiori vel quibusdam praejudiciis imbuto. Ita v. g. testimonium parentum plene sufficere solet ad persuadendum puero, et similiter motiva praeclarae utilitatis, imo necessitatis practicae

---

[1] Cfr. *Heb.* **11**, 6; *Mc.* **16**, 16.

sufficere poterunt ad persuadendum viro theoriis neo-kantianis imbuto.

Ratio directa, propter quam certitudinem respectivam ad fidem sufficere dicimus, supra dedimus: quoties de facto adest firma adhaesio mentis, formidinem oppositi actu excludens, voluntas credendi rationabilis est. Res indirecte confirmatur ex eo, quod secus fides multis hominibus, imprimis hebetioribus et pueris, foret impossibilis; quomodo enim talis impossibilitas quadraret cum mente et doctrina Christi, qui prae ceteris pauperes evangelizari voluit et de pueris dixit: talium est regnum coelorum? Siquidem sententia obsoleta paucorum theologorum, qui hujusmodi hominibus tribuebant *discerniculum* quoddam *experientale*, cujus ope revelatam veritatem a quovis errore infallibiliter discernerent, gratis conficta erat [1].

274. *Corollarium.* Inferes, errare quosdam modernos qui ad fidem exigere videntur, ut homo salubritatem, imo necessitatem religionis catholicae animo persentiat; ut experientia discat, hanc religionem cunctis necessitatibus et aspirationibus nostris satisfacere, imo ita satisfacere ut sine ea vita humana pretio ac dignitate careat; ut gratia divina actus in se ipso experiatur „actionem" humanam postulare incrementum veritatis et virium, quale illud sola ecclesia catholica praebet; cet. De valore objectivo hujusmodi motivorum et experientiarum in praesenti non quaeritur; permagnam eorum utilitatem non negamus, nec infitiamur quosdam homines per ea sola pervenire ad certitudinem saltem respectivam de facto revelationis; verum ea necessaria esse, ut quis fidem suscipere possit prudenter ac debeat, omnino falsum et a doctrina catholica alienum est: conc. vatic.: „S. q. d., revelationem divinam signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere, a. s." [2]

275. III. Ad quaestionem: *qua ratione catholici minus exculti, et imprimis pueri, certi exsistant de facto revelationis*, haec respondemus.

---

[1] Cfr. SCHIFFINI, *De Virt.* p. 264; PESCH, *Prael. dogm.* VIII, n° 177.
[2] Const. *De fide*, can. III, 3.

1° In ecclesia catholica fideles etiam simpliciores, facile habere possunt et ordinarie habent de facto revelationis *certitudinem absolutam, licet vulgarem*. Dummodo enim instructionem omnibus perviam non neglexerint, cognoscunt modo eorum intellectui et culturae proportionato quaedam credibilitatis motiva absolute sufficientia, v. g. aliqua miracula Christi, unanimi traditione conservata, una cum apostolicitate ecclesiae, mirabilem ecclesiae unitatem, catholicitatem, stabilitatem, cet. Verum est, quod illa motiva non adaequate cognoscunt, nec omnem illorum vim percipiunt, quod minime valerent solvere omnes objectiones in contrarium; sed id nullatenus requiritur, nam, quum difficultates istas (quae ceteroquin vim motivorum credibilitatis non destruunt sed obscurant tantum) aut ignorent aut plane despiciant, manent in tranquilla ac legitima possessione veritatis. Hac de re lectu dignissima est adnotatio Theologorum conc. vatic.:

276. „Quamvis enim fideles rudiores motiva omnia credibilitatis distincte non noverint nec ipsi ea valeant explicare, noverunt tamen modo ipsis accommodato, unam, sanctam, catholicam et apostolicam ecclesiam, et in hac semper eis ob oculos versatur incommutabile, plene sufficiens et certum credibilitatis motivum, seu potius motivorum complexus, ut non jam quasi ‚cito credant leves sint corde', sed fundamentis innitantur firmissimis ad plenam credibilitatis certitudinem, parati semper, quantum ad singulos pro eorum conditione spectat, ad satisfactionem, per ecclesiam nempe et in ecclesia, omni poscenti rationem de ea, quae in ipsis est spe. Sicut namque in veritatibus quibusdam naturalibus, disponente providentia Dei naturali, totum genus humanum citra demonstrationem scientificam habet plenam certitudinem, quae inquisitione philosophica potest quidem in suis fundamentis amplius et distinctius explicari, sed nullis apparentibus rationibus labefactari; ita divina bonitas et sapientia in ordine providentiae supernaturalis disposuit ecclesiam catholicam iis insignem characteribus, ut in ea citra scientificas inquisitiones, quibus longe maxima pars hominum idonea non est, etiam rudes habeant facile cognoscibile compendium motivorum credibilitatis ad plenam certitudinem, quae poterunt per disciplinas apologeticas distinctiori et ampliori explicatione confirmari; sed non potest rationibus oppositis induci prudens dubium ad illam certitudinem labefactandam. Profecto Deus et Christus ejus non doctis tantum hominibus fidem destinavit et suam revelationem certo cognoscibilem reddidit, sed pauperes evangelizantur" [1].

2° Quodsi quibasdam fidelibus, pueris praesertim ac hebetioribus, desunt motiva absolute sufficientia, praesto tamen sunt argumenta

[1] *Coll. lac*, T, VII, p. 533.

ipsis sufficientia, quae sufficiunt (per accidens quidem, sed tamen vere) ad excludendum *pro hisce* hominibus omne dubium prudens, atque ad producendum *in iis* assensum firmum. Talia argumenta imprimis sunt auctoritas parentum et parochi. „Cum enim, ita card. DE LUGO, non occurrant ei [v. g. puero] rationes, quae homini docto occurrerent ad prudenter formidandum, non potest ipse prudenter formidare, et pro ejus captu motiva illa fortissima sunt, quae debilia essent in ordine ad alios" [1]. Recogitemus ipsi primos discretionis annos; quid nobis pueris plenius atque perfectius persuasit de veritate multarum rerum quam seria et repetita parentum assertio! Ita igitur omnes fideles, etiam qui tenuissimi sunt ingenii, habent de facto revelationis *ad minus certitudinem respectivam*, quae, quum omne dubium saltem pro tunc excludat, ad praeparandum actum fidei rationabilem sufficit [2].

278. 3° Demum hac in re multum tribuendum est divinae gratiae, quae, licet secluso miraculo, locum motivorum credibilitatis non suppleat, potest tamen efficere **a.** ut eliminentur difficultates veritatem obscurantes, et **b.** ut motiva credibilitatis apprehendantur eo modo ut suadeant et persuadeant. Hinc s. THOMAS: „Qui credit, inducitur auctoritate divinae doctrinae miraculis confirmatae et, quod plus est, interiori instinctu Dei invitantis" [3]; et ipsum conc. vatic.: „Ut fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus s. auxiliis externa jungi revelationis suae argumenta"; et paulo post: „Cui quidem testimonio [scil. ecclesiae] efficax subsidium accedit ex superna gratia" [4].

---

[1] *De Fide*, disp. 5. n° 36. — [2] Ceterum ne hanc viam auctoritatis humanae, qua pueri ac simplices ad fidem veniunt, despicias, considera, quam recte et *prudenter* hujusmodi judicent, etiam in materia religionis sequendos esse illos, quos Deus iis eruditores ac duces providit. Adhibent unicum medium, quod ipsis praesto est, et quidem medium *de se* bonum ac proportionatum; nam quod parentes aliquando falluntur aut fallunt, etsi saepius contingit, non nisi *per accidens* contingit. — In *Theologiae Cursu Completo*, quem edidit MIGNE, T. VI p. 1069 habetur: *Controverse pacifique entre Mgr. Lefranc de Pompignan et un Savant de Génève: Comment la foi des enfants et des adults ignorants est-elle une foi ferme et raisonnable?* — [3] *S. Th.* II, II, **2**, 9, ad 3. — [4] Const. *De fide*. cp. 3.

279. 4° Diximus, certitudinem respectivam excludere omne dubium prudens *saltem pro tunc*, libenter enim concedimus per argumenta, quibus nititur, non satis excludi possibilitatem dubii prudentis etiam in futuro. Revera motiva respectiva, quae v. g. puero decenni sufficiebant, saepe eidem adulto non amplius sufficient. Quid igitur? Numquid puer ille catholicus debebit quodam die fidem suam suspendere ad instituendum examen dubitativum de facto revelationis et de veritate ecclesiae? Minime. Sed, nisi aut ipse puer aut ejus parentes officio suo omnino desint, pro tali puero motivis respectivis mox accedent motiva absolute sufficientia, quorum vis initio parum intellecta, procedentibus annis magis percipietur, ita ut sensim sine sensu, nulloque dubio intermedio, certitudine respectivae succedat absoluta. Qua in re iterum divina gratia suas partes, easque praecipuas, habet.

Quae de puero diximus, servata proportione, valent de omni catholico minus instructo, cui oriuntur difficultates circa veritatem suae religionis. Supposito etiam quod talis homo hactenus respectivam tantum habuerit certitudinem, certo imprudenter ideoque illicite ageret, si orta difficultate *statim* assensum retraheret; vis enim difficultatum exorientium saltem initio minime destruet pondus motivorum credibilitatis, quae ipsum hucusque certum reddiderant. *Retento igitur assensu*, debebit fundamenta suae religionis pro viribus et conditione sua investigare, persuasum sibi habens, quod quo sincerius et diligentius quaesierit, quo impensius divinum lumen imploraverit, eo magis et profundius certiorabitur, argumentis absolute sufficientibus, de veritate suae religionis. Fieri enim non potest, ut factum multis argumentis, iisque partim valde obviis demonstratum, factum cujus cognitio est ad salutem necessaria, ubi sincere inquiritur, non appareat vestitum iis veritatis argumentis, quae omne dubium prudens excludant; praesertim quia „benignissimus Deus eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens nisi deseratur" [1].

[1] Conc. vatic. l. c. — Contrarium continget haeretico, cujus bona fides per difficultates subortas pulsatur. Non dico, haereticum qui certitudine respectiva suae sectae adhaeret, aborta aliqua difficultate, *statim* assensum suum suspen-

5° Hucusque de communiter contingentibus. Si vero ulterius quaeratur. num *per accidens, in adjunctis exceptionalibus,* dari possit casus, quo aliquis catholicus rudis ita circumveniatur, ut per errorem invincibilem ideoque absque peccato formali judicet ecclesiam catholicam non esse veram ecclesiam, atque ab ea recedat; theologi non conveniunt. **280.**

Nonnulli [1] ita negant, ut dicant id a conc. vatic. [2] definitum esse; quod certo nimium est, uti probant Granderath et Vacant [3]; mens concilii erat definire contra Hermes aliosque, quod homo catholicus non possit habere causam *objective* justam fidem suam mutandi aut suspendendi.

Seposita quaestione de definitione, plurimi theologi negant, innixi hoc axiomate: Deus non deserit, nisi deseratur. Ex quo alii deducunt, ipsam a vera ecclesia defectionem semper esse *in se* formaliter peccaminosam; alii, neminem umquam ab ecclesia discedere, quin *antecedentibus saltem peccatis* sese speciali gratiae auxilio privaverit [4].

Res nisi cautissime explicetur, periculose disputatur; nihilominus si quid sentiam promere licet, unum vi axiomatis praelaudati *certo* constare videtur. Nemo umquam catholicus, qui verum actum fidei jam habuit, absque sua culpa eo deveniet, ut neget aut dubitet de iis, quae necessitate medii sunt credenda [5]. Ratio est: qui etiam horum articulorum fidem perderet, careret medio ad salutem prorsus necessario: illum Deus vere deseruisset, Deus autem non deserit, nisi deseratur. — Ceterum secreta conscientiarum Deo relinquamus. Nostrum sit, summis viribus laborare tum in catechesi, tum e suggestu,

---

dere debere vel prudenter posse. Nihilominus, quum sectae objectiva veritas desit et gratia Dei in viam veritatis tantum dirigere possit, haereticus si fundamenta sectae suae sincere perquisierit, ejus falsitatem *tandem aliquando* inveniet. Cfr. Conc. vatic. l. c., et can. III, 6 — [1] Ita e. g. J. B. BEINRICH, *Dogm. Theol.*, I, § 61, II; et SCHEEBEN, in *Kirchenlexikon*, in voce *Glaube*, V. p. 668. — [2] L. c. cp. 3 et can. III, 6. — [3] GRANDERATH, *Constit. Dogm. Conc. Vatic. explicatae atque illustratae*, p. 61 seq; VACANT, *Études theol. sur les Constit. du Concile du Vatican*, II, p. 165 seq; quibus consentit Dr. N. PAULUS in *Der Katholik*, 1896 II. p. 93. — [4] Ita v. g. PESCH, *Prael.*, VIII, n° 381—385. Discrimen non sine momento est. Si ipsa defectio semper formaliter peccaminosa est, et ipsa necessario retractari debet ut homo salvetur; si ipsa defectio, utut praecedentibus peccatis ac negligentiis indirecte causata, non necessario formaliter peccaminosa est, contingere potest, ut infelix homo salvetur, quin defectionem suam retractaverit. — [5] Ita v. g. TANNER, *De Fide* q **2**, dub. 5, n° 139.

tum etiam scriptis opportune editis, ut fundamenta fidei dilligentius et uberius cognoscantur. „Evidens enim est, ait card. FRANZELIN, quam gravis urgeat necessitas amplioris et distinctioris institutionis quoad simplices fideles quibusdam luctuosissimis temporibus, ubi acerbior imminet hostium fidei impugnatio et majus perversionis periculum."

281. IV. *De judicio credibilitatis et credenditatis.* — Certitudo de auctoritate (omniscientia et veracitate) Dei atque de facto revelationis, in sensu supra exposito, viam sternit ad duo judicia, alterum speculativum, alterum speculativo-practicum.

a. *Judicium credibilitatis*: doctrina christiano-catholica est evidenter credibilis, i. e. prudenter credi potest. — Judicium hoc immediate fluit ex agnitione veracitatis Dei et facti revelationis, unde conc. vatic. ex manifestis divinae institutionis notis, quibus Deus ecclesiam instruxit, statim infert „evidentem fidei christianae credibilitatem" [1].

b. *Judicium credenditatis:* doctrina christiano-catholica est evidenter credenda. a. v. honestum et obligatorium est ei fide divina assentiri. — Hoc alterum judicium, supposito priori, sponte fluit ex agnita habitudine dependentiae hominis ad Deum, propter quam ei loquenti mentem suam submittere tenetur; conc. vatic.: „Quum homo a Deo tamquam creatore et domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur" [2].

Judicium credibilitatis et judicium credenditatis reapse sunt duo judicia distincta, imo separabilia, illud enim ferri potest quin hoc adjiciatur; quum nihilominus intime connectantur, et in praxi vix umquam separentur, a theologis sub uno nomine *judicii credibilitatis* comprehendi solent.

---

[1] Const. *De fide*, cp. 3. — [2] L. c., cfr. can. III, 1: „S. q. d., rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit, a. s." — Vides cum dogmate catholico minus cohaerere sententiam, quae fingit, nullam veritatem aut legem homini *ab extra* imponi posse, nihil a nobis rationabiliter ab extra recipi posse, quod necessitatibus et aspirationibus nostris, a. v. quod „actione" nostra non postuletur.

Scholion. *De intimatione veritatum revelatarum ante fidem requisita.* Quemadmodum fides universim impossibilis est, nisi de revelatione certo constet, ita nulla sententia determinata assensu fidei teneri potest, nisi certum fuerit eam in revelatione contineri; medium autem ab ipso Christo ordinatum, quo hac de re certioremur est propositio ecclesiae, de qua pauca tantum dicenda. **282.**

1° Propositio ecclesiae publica, de qua supra [1] diximus, omnibus quibus de veritate et infallibilitate ecclesiae catholicae constat, plenam praebet certitudinem de revelatione doctrinarum ab ipsa praedicatarum. Attamen haec publica propositio ad singulos fideles non immediate pertingit, sed mediate tantum, np. partim per propositionem authenticam parochorum et praedicatorum [2], partim per propositionem privatam parentum, cet. quorum testimonium per se non necessario probat propositionem publicam ecclesiae et factum revelationis. Nihilominus etiam communes fideles solent habere certitudinem absolutam, quod veritates religiosae, ipsis explicite cognitae, vere per ecclesiam credendae proponuntur, Rudiores enim paucas admodum veritates explicite cognoscunt, v. g. Symbolum et summa quaedam capita de sacramentis. In hisce autem non *nudo* parochi testimonio acquiescunt, sed aliquo modo licet confuse propositionem universalis ecclesiae percipiunt, quatenus sciunt illa ab omnibus catholicis admitti [3]. Qui vero cultioris sunt ingenii plures quidem veritates explicite cognoscunt, sed simul facilius et perfectius de publica ecclesiae praedicatione certiorantur. Quodsi quibusdam, pueris videlicet ac hebetioribus, quandoque deest certitudo absoluta, non deerit saltem respectiva, quae etiam hac in re sufficere dicenda est.

2° Contingere potest, ut homo fidelis aliquam doctrinam sub- **283.**
tiliorem ut revelatam sibi proponi et inculcari audiat v. g. a concionatore, quin statim de ejus revelatione persuasum habeat. Jam talis propositio ordinarie „obligabit quidem illum hominem ad non

---

[1] Supra n° 206 seq. — [2] Hi enim, quum jurisdictionem in foro interno habeant, aliquo modo doctoribus authenticis adnumerari possunt. — [3] BAINVEL: „La pauvre femme, qui croit sur la parole de son curé, sait bien que son curé et sa paroisse sont en cummunion de doctrine avec les autres curés et les autres paroisses du diocèse, les curés avec l'évèque, avec Rome, avec l'église répandue à travers le monde." „*La Foi et l'acte de foi*, p. 108.

discredendum donec majorem diligentiam adhibeat, vel forte etiam ad credendum aliqua fide generatim sumpta, non tamen ad credendum tali fide, quae nullam haesitationem admittat, donec de doctrina ecclesiae certus sit" [1]. Ceterum recte observat PESCH [2], quod in tali casu simplices fideles non solent cogitare de eliciendo vel non eliciendo actum fidei circa hanc reconditiorem veritatem in specie; perseverant ut plurimum in assensu erga veritates credendas in genere, contenti hac formula: credo, quidquid ecclesia proposuerit.

284. *Corollarium.* Ex iis, quae in hoc articulo disseruimus, unusquisque videt actum fidei divinae in nobis magna ex parte praeparari per fidem humanam. Hinc non abs re erit referre observationem generalem p. PESCH: „Omnes homines, etiam doctissimus quisque, longe plurima quae norunt non didicerunt per investigationem in internas rerum naturas, sed per fidem humanam. Si tolleremus omnes notitias, quas hac via acquisivimus, non adeo magnae forent divitiae nostrae intellectuales. In una alterave disciplina forte rationes internas penetramus, in aliis omnibus aliorum auctoritate nitimur. Quare mirum videri non debet, quod etiam in rebus religiosis late patet humanae fidei provincia" [3].

§ 2. De praeparatione fidei ex parte voluntatis.

Ut actus fidei praeparetur et eliciatur, voluntas multipliciter cooperari debet, primo indirecte removendo obstacula, deinde directe praestando ea, per quae ad actum fidei pervenitur; cooperatio autem directa iterum est remota (ad judicium credibilitatis) et proxima (ad ipsum actum fidei). Cooperationem indirectam ac directam claritatis gratia distinguimus, sed simul monemus, eas in praxi minime separari; reapse ita intime copulari ac permisceri solent, ut fines vix discernantur.

285. I. Multa sunt obstacula, sive immediate sivi saltem mediate ex voluntate pendentia, quae nisi removeantur impediunt, quominus

[1] SUAREZ, *De fide*, Disp. 3, s. 13 n° 9. — [2] *Prael. Dogm.* T. VIII, n° 307. — [3] L. c. n° 298.

homo ad judicium credibilitatis, ipsamque fidem perveniat. Sunt imprimis:

a. *Superbia*, quae propriam excellentiam inordinate appetit. Sane qui ita affectus est, ut mysteria admittere, leges ab extra impositas suscipere nolit, qui sibi ita sufficit, ut revelationem divinam inutilem vel etiam nocivam aut humanae dignitatis imminutivam aestimet, motiva credibilitatis, cujuscumque demum speciei sint, vel nulla consideratione digna ducet, vel ea tantum intentione considerabit, ut illorum vim elidat atque obscuret.

b. Animus *levis* aut *curis temporalibus ita distentus*, ut altiora numquam serio consideret vel etiam flocci aestimet, secundum vulgare proverbium eorum, qui coelum clericis atque passeribus concedunt, dummodo ipsi temporalia accipiant.

c. Generatim *passiones immortificatae* et imprimis *vita impura*; qui enim vitiis dediti sunt, dogmata et imprimis praecepta christianismi aversantur, proinde eorum obligationem declinare nituntur. Qui impuritatibus delectantur, praeterea multum enervantur et spiritualia fastidio habere solent [1].

d. *Praejudicia* undequaque accepta, quae saepe efficiunt ut homines circa factum revelationis et veritatem ecclesiae catholicae nullum examen instituere velint. Quot sunt nostro praesertim tempore eruditi, qui sibi persuadent, de rebus metaphysicis certitudinem haberi non posse; quot sunt, qui omnem hypothesim revelationis et miraculi a priori ut errorem obsoletum excludunt. Nonne multorum popularium animos occupavit persuasio, perseverandum esse in religione in qua quisque natus est? Quid autem plures in sectis enutriti de catholica ecclesia sentiant, luculenter patet ex proverbio in quibusdam Germaniae partibus usitato: ita stultum est ac si quis catholicus fieret [2].

Porro manifestum est, horum obstaculorum remotionem aut a sola voluntate pendere aut saltem non sine voluntatis impulsu **286.**

---

[1] Ad rem G. F. ROMANES: „Now nothing is so inimical to christian belief as unchristian conduct. This is especially the case as regards impurity: for whether the fact be explained on religious or non-religious grounds, it has more to do with unbelief than has the speculative reason" (*Thoughts on Religion*, 1895, p. 166.) — [2] „Das ist zum Katholisch werden!"

obtineri posse. Sane praejudicia practice vix superantur, nisi religio catholica ex aliqua parte *placere* incipiat, et ita peculiari consideratione digna appareat. Ad hunc autem effectum obtinendum utilissima sunt criteria interna, quae praecellentem bonitatem catholicismi ostendunt: eximiam ejus sanctitatem, utilitatem (aptitudinem ad explendum indigentiis nostris in ordine intellectuali, morali, sociali), pulchritudinem, cet. Ceterum etiam alia motiva diversissimi generis efficere possunt, ut voluntas in religionem catholicam inclinare incipiat; nec immerito scribit cl. Hor. Mazzella, voluntatem primos impulsus ad inquirendam fidem saepe accipere a motivis ordinis inferioris, dispositionibus subjecti accommodatis [1].

287. II. Directe sed adhuc remote voluntas ad fidem cooperatur applicando intellectum ad argumenta credibilitatis, sustinendo ac dirigendo eum, donec tandem judicium credibilitatis efformetur [2].

Argumenta ordinis moralis, quibus de facto revelationis certioramur, generatim ejusmodi sunt, ut veritatem satis quidem manifestent, sed non ea claritate ut possibilitas etiam imprudentis dubii excludatur. Etenim adversarii fidei undequaque congesserunt ingentem colluviem difficultatum et objectionum ad factum revelationis obscurandum, ex quibus aliquae satis speciosae sunt, aliae auctoritate extrinseca doctissimorum virorum commendantur; unde nisi voluntas

---

[1] *Prael. Scholastico-dogm.* III [3], p. 618. Scribit Semeria (*La vie della fede*, 1903, p. 11 seq.), cl. Brunetière primum attraxisse principium auctoritatis socialis, quod ecclesia tantopere colit, cl. Coppée consolationem quam aegrotis et afflictis afferre novit, cl. Huysmans pulchritudinem cultus ac symbolismi catholici. — Ceterum nonne plures in ecclesiam propendere et veritatem ejus investigare coeperunt, quia v. g. puellam sincere catholicam adamabant? —

[2] BAINVEL: „Dans les recherches préalables la volonté joue d'ordinaire un grand rôle; c'est d'elle, que part l'élan qui met l'esprit en quête, c'est elle qui dirige la recherche, elle qui soutient dans les difficultés, elle qui méprise des terreurs chimériques et triomphe des vains fantômes, elle surtout — et c'est un point sur lequel on ne saurait trop insister — qui met entre l'âme et la vérité je ne sais quelle convenance mystérieuse analogue à elle qui fonde l'amour, une certaine *connaturalité* (le mot est de st. Thomas) grâce à laquelle le vrai (qui sans elle apparait peut-être, mais dans une lumière froide et d'un éclat qui offusque, comme peuvent s'imposer les mérites d'un ennemi) le vrai se montre comme un ami, dont la présence échauffe et réjouit, dont les charmes ravissent, dont la pensée eveille de délicieuses sympathies" (*La Foi*, cet. p. 132).

sincera mentem applicet atque continuo regat ad omnia aequa lance ponderanda, facile contingere potest, ut intellectus difficultatibus nimis immoretur ac per illas captivetur [1].

Nec aliter res se habet in demonstratione religionis ad formam scientificam redacta. Hujusmodi demonstratio satis complexa est, quum principia argumentandi ex multis mediis assumantur et in plerisque argumentis diversa adjuncta consideranda atque aestimanda sunt. Porro in processu tam complexo primo necesse est ut voluntas mentem constanter in labore sustineat; deinde quum, ob angustiam intellectus nostri, veritas per varias et complexas ratiocinationes ostendenda minus perfecte ac vivide illuceat, spectata natura rerum admittendarum et objectionum multitudine, vix non semper remanebit possibilitas imprudentis haesitationis, imperio voluntatis expellendae.

Vides, in praeparando et efformando judicio credibilitatis, influxum voluntatis non requiri, ut criteriis objectivis valorem adjiciat (quod utique nullo modo posset), sed **a.** ut intellectus serio et constanter applicetur ad valorem objectivum criteriorum rite expendendum, et **b.** ut formido post considerationem criteriorum forte remanens, sed cujus imprudentiam ipse intellectus agnovit, expellatur.

Motiva, quibus voluntas in hoc negotio impellitur, diversa esse possunt: solum desiderium veritatis inveniendae, amor Dei naturaliter cogniti et obligatio inquirendi religionem, quam forte revelavit, falsitas propriae sectae jam perspecta aut prudens dubium de ejus veritate, inquietudo et paupertas animae religione carentis, spes altioribus animae aspirationibus uberius prospiciendi, cet.

III. Directe et proxime voluntas ad fidem cooperatur per **288.** imperium, quo, praelucente judicio credenditatis, intellectum applicat ad actum fidei formalem eliciendum. De hoc imperio seu pio credulitatis affectu, qui etiam post judicium credibilitatis et credenditatis libere praestatur vel non praestatur, infra dicemus, ubi de libertate fidei. In praesenti id unum annotamus. Voluntas ad

---

[1] Hinc PASCAL: „Il y a assez de lumière pour ceux, que ne désirent que de voir, et assez d'obscurité pour ceux, qui ont une disposition contraire". *Pensées, cet. de B. Pascal*, Ed. P. TAUGÈRE, Paris 1844, II, p. 151.

ipsum assensum fidei imperandum movetur bonitate, quam intellectus in hoc assensu deprehendit. Bonitas illa imprimis est honestas et obligatio subjectionis intellectus creati in Deum, dehinc desiderium salvandae animae suae. Nihilominus huic motivo principali et per se sufficienti, adjungi possunt et utiliter adjunguntur alia motiva, quibus voluntas suavius vel, pro particulari sua dispositione, etiam efficacius permovetur ad fidem imperandam [1].

289. *Corollaria.* 1° Quum fides tantopere a voluntate pendeat, vides minime errare eos, qui dicunt, „etiam cor habere suas rationes ad credendum", qui proinde exigunt, ut in apologetica tum scientifica tum populari praeparatio affectiva subjecti non negligatur. Revera parum proficere solent argumenta, etiam solida et bene ordinata, nisi auditores ea benevolo vel saltem pacato animo expendere velint. Hinc permagna utilitas, imo respectu multorum hominum vera necessitas criteriorum internorum, quae cum bonitatem religionis catholicae directe patefaciant, multum valent ad voluntatem commovendam. Modum tamen excederet et in errorem perniciosum incideret, qui ex dictis concluderet, fidem a sola voluntate affectuque pendere, aut immediate esse actum voluntatis, proinde solas „rationes cordis" sufficere ad fidem amplectendam et conservandam. Ab hoc autem errore non satis recedunt, qui in quaestione apologetica criteriis internis ita favent, ut argumentis externis sin minus

---

[1] BAINVEL: „Si cette notion austère du devoir et de l'obligation est toujours au fond de la foi, d'autres vues s'y mêlent et attirent plus doucement, parfois plus fortement, la volonté. C'est une alliance à faire avec Dieu; c'est une avance amoureuse de la bonté souveraine à recevoir avec reconnaissance et amour; c'est une entrée ouverte dans les profondeurs divines et dans ce monde des secrets de Dieu, qu'une condescendance infinie veut bien mettre à ma portée; c'est la possession assurée (non pas par la vision encore, mais par l'union de l'esprit avec celui qui voit et qui sait) des vérités les plus hautes et les plus nécessaires; c'est la solution certaine de mes doutes les plus angoissants; c'est la main secourable, que Dieu tend à mon insuffisance et à ma faiblesse, saisie avec empressement; c'est le refuge assuré contre l'erreur offert à mon intelligence et à ma volonté. Que sais-je-encore? Les motifs sons des plus variés, qui m'attirent à la foi, et qui me la font recevoir comme un bienfait précieux. Dans les justes ils se rattachent facilement à la charité; dans les pécheurs ils se ramènent d'ordinaire à des motifs de justice ou d'espérance ou de cet amour initial, dont nous parle le concile de Trente, lequel n'importe pas la grâce sanctifiante" (*La Foi.* cet. p. 140). —

valorem objectivum, saltem omnem fere utilitatem practicam abjudicent.

2° Quum in praesenti articulo iis intendebamus, quae ex parte ipsius hominis requiruntur, ut ad fidem perveniat, fere tacuimus de gratia. Minime tamen obliviscimur, in toto hoc negotio multum, imo plurimum pendere ab auxilio Dei, cujus est aperire corda hominum ut intendant his, quae a praedicatoribus dicuntur [1], sine cujus praeveniente gratia nemo ad fidem perducitur [2]. Hinc liquet, quanti pretii sit, ut qui verbo suo animas Dei lucrari cupiunt, tum fervidis orationibus instent apud Deum, tum ita sancte vivant, ut eligi mereantur in instrumenta gratiae ad conversionem multorum. Sane quum conversio errantium et incredulorum imprimis a gratia pendeat, plus valet sanctitas quam scientia. Hinc notum illud effatum doctissimi card. DUPERRON: „Hos [alienos a fide] si convinci cupitis, ad me perducite; at conversos si desideratis, mittite ad Franciscum de Sales, genevensem episcopum" [3].

ART. III

DE ANALYSI FIDEI

291. Analysis actus fidei est ejus resolutio in suas causas; sicut enim per analysim chimicam materia composita in elementa componentia, ita per analysim logicam actus fidei in singula sua constitutiva resolvitur. Jam post ea, quae disseruimus, haec analysis nullam difficultatem crearet, nisi remaneret quaestio difficillima: *quomodo auctoritas Dei revelantis sit motivum fidei, non solum proximum, sed etiam ultimum?*

I. **Status quaestionis.** — Supra ostendimus, auctoritatem Dei revelantis esse proprium fidei nostrae motivum. Quum autem auctoritas Dei et factum revelationis nobis innotescant per argu-

[1] Cfr. *Act*, **16**, 14. — [2] Cfr. *Jo.* **6**, 44. — [3] Apud HURTER, *Theol. dogm. comp.*, I n°. 102.

menta humanae rationis, videri potest, resolutionem actus fidei completam non esse, nisi post quaestionem: cur credis ss. Trinitatem, et responsum: propter auctoritatem Dei revelantis, iterum quaesieris: undenam nosti Deum esse veracem et vere esse locutum? Quod si reapse ita quaerendum duxeris, et si respondendum autumaveris: ex argumentis credibilitatis, non effugies conclusionem: ergo fides nostra ultimo resolvitur in argumenta credibilitatis, a. v. argumenta credibililatis non tantum sunt conditio fidei praevia, sed potius ipsum ultimum motivum fidei.

Porro certum est, hanc conclusionem non posse admitti; nam primo fontes revelationis et documenta eccleciastica semper primam veritatem revelantem, eamque solam ut motivum fidei assignant; praeterea fides si ultimo niteretur argumentis credibilitatis, nec virtus theologica esset, nec habere posset assensum super omnia firmum, sed ejus tantum firmitatis, quae apud singulos argumentis credibilitatis respondeat. Haec autem apud diversos fideles satis diversa est.

Igitur omnes tenent et omnino tenere debent, actum fidei non resolvi in argumenta credibilitatis, sed in auctoritatem Dei revelantis tantum, a. v. auctoritatem Dei revelantis esse *motivum unicum, proximum simul et ultimum*, propter quod v. g. mysterio ss. Trinitatis assentior. Sed quaestio est, *quomodo res explicanda sit;* et haec est celebris quaestio de analysi fidei, inde a fine saec. XVI acriter disputata. — Referemus tres potiores hac de re sententias, quarum nulla ab ecclesia approbata, nulla reprobata est.

Unum praenotamus. Patroni *primae* et *secundae* sententiae, supponunt: **a**. assensum *ipsius fidei* esse assensum virtute duplicem, np. primo in objectum formale, deinde in objectum materiale, et **b**. assensum objecti materialis pendere a nostro assensu i. e. a *nostra cognitione* objecti formalis. His autem praestitutis, ad solvendam difficultatem conantur ostendere, quod fidelis, qui ante fidem veracitatem Dei et factum revelationis ex argumentis credibilitatis cognovit, *in actu fidei* easdem veritates cognoscat modo excellentiori, scil. *immediate* sive per fidem (prima sententia), sive per quamdam intellectionem (secunda sententia). *Tertia* sententia, praedictas suppositiones non admittendo, aliam plane viam ingreditur.

II. **Prima sententia.** — Secundum *Suarez* multosque alios [1], **293.** fides nostra ultimo resolvitur in auctoritatem Dei revelantis, *fide divina creditam*. Sententia huc redit. Assensus fidei in objectum materiale, qui omnibus fatentibus debet esse supernaturalis et super omnia firmus, fundatur in assensu objecti formalis. Atqui fieri nequit, ut assensus altioris ordinis (supernaturalis) fundetur in assensu inferioris ordinis (naturalis), nec major certitudo potest per se fundari in minori. Ergo necesse est, ut *in actu fidei* ipsum objectum formale teneamus assensu supernaturali et super omnia firmo. Quum autem talis assensus non possit haberi nisi per fidem divinam, omnino requiritur ut *in actu fidei* auctoritas Dei et factum revelationis *credatur fide divina*.

Jam si ponatur objectum formale in actu fidei credi propter aliam revelationem prius creditam, iterum redibit quaestio, quare prior illa revelatio credatur, et sic in infinitum. Ergo dicendum est, quod in actu fidei objectum formale creditur, non propter aliam revelationem distinctam, sed propter eamdem illam revelationem, propter quam creditur objectum materiale; a. v. necesse est ponere, quod in actu fidei objectum materiale creditur propter fidem objecti formalis: assensu fidei mediato; ipsum vero objectum formale creditur propter seipsum: assensu fidei immediato. Quodsi fit, actus fidei nostrae revera undequaque supernaturalis et super omnia firmus est, ac praeterea evidenter in solam auctoritatem Dei revelantis resolvitur.

Quomodo autem objectum formale credi possit propter eamdem revelationem, qua manifestatur objectum materiale, ita explicant. In revelatione cujuslibet veritatis proprie tria revelantur; e. g. Deus revelans se esse trinum, actu signato revelat *ss. Trinitatem* (obj. material.) et simul actu exercito revelat *se loqui* (factum

---

[1] SUAREZ, *De fide*. Disp. III, s. 6 et 12; BILLUART, *De fide*, Diss. 1, art. 1; HEINRICH, *Dogm. Theol.* T. I, § 58, II; SCHEEBEN, *Handb. der Kath. Dogm.* I, n° 686; G. M. JANSEN, *Prael. Theol. dogm.* I. p. 720: BROUWER, *De fide*, p. 169; WILMERS, *De fide*, I, IV, c 2, a I. — Sunt qui putant *ipsum Suarez* forte alia ratione explicari posse (FRANZELIN, *De Trad.* Ed. 3, p. 661; SUAREZ, *De Incarn.* Disp. 54, s. 5, n° 11), unde sententia, quam in textu exponimus, potius suarezianis quam ipsi Suarez tribuenda esset.

revelationis) et *se esse veracem* [1] (auctoritatem suam). Consequenter in omni actu fidei proprie tria credimus; elicientes e. g. actum fidei in mysterium s. Trinitatis, *Trinitatem* quidem credimus propter auctoritatem Dei revelantis, assensu mediato; sed simul, et natura prius, credimus ipsam auctoritatem Dei revelantis (a. v. *Deum hoc dicere*, et *Deum in hoc dicendo esse veracem*), et hanc quidem implicitam revelationem propter seipsam, assensu immediato, credimus. Si demum quaesieris, qua ratione auctoritas Dei *possit credi propter seipsam*, Suarez respondet: „hoc esse magnum fidei mysterium" [2].

294. *Crisis.* Explicatio Suareziana optime ostendit, fidem nostram ultimo resolvi in solam auctoritatem Dei revelantis. Sed ipsa explicatio **a.** provocat ad „mysterium", quod certe mysterium divinitus revelatum non est. Quinimo **b.** assensus *fidei immediatus* et *credere propositionem propter seipsam* videtur esse non mysterium, sed contradictio in terminis [3]. Assensus fidei natura sua est assensus propter testimonium, assensus propter aliud, ergo assensus *mediatus*. Item credere est assentiri propositioni propter rationem *externam*, propter rationem a propositione distinctam, ergo non propter ipsam propositionem.

295. III. **Secunda sententia.** Secundum *Lugonem* [4], quem sequitur card. Franzelin [5], fides nostra ultimo nititur auctoritate Dei revelantis, *ex rationibus intestinis, immediate cognita*. Assensus fidei fundatur in auctoritate Dei et facto revelationis. Jam si ostendi potest, quod fideles *in actu fidei* veracitatem Dei et factum revelationis cognoscant (non mediate, per argumenta, ratiocinia, fidem humanam, sed) immediate ex ipsis terminis, eo fere modo quo intelleguntur principia per se nota, evidens erit, quod fides ultimo resolvatur non in argumenta credibilitatis, sed in solam Dei reve-

---

[1] Nam qui aliquam propositionem manifestat *ut illa credatur*, implicite affirmat, se nec falli nec fallere. — [2] L. c., s. 6, n° 8; cfr. tamen WILMERS, l. c, p. 367. — [3] Sunt verba p. KLEUTGEN: „Es ist nicht sowohl geheimnissvoll als widersinnig" (*Theol. d. Vorzeit*, IV, n° 265). — [4] *De Fide*, Disp. 1, s. 6 et 7. — [5] *De Trad. et Script.* Append. c. 4 et 5.

lantis auctoritatem. Nam si auctoritas Dei revelantis in actu fidei ex seipsa, seu ex sola terminorum apprehensione nota est, non datur locus ulteriori quaestioni: unde scis, Deum esse veracem et Deum esse locutum?

Atqui in actu fidei tum veracitas Dei, tum factum revelationis immediate et ex seipsis innotescunt. *Auctoritas quidem Dei* ex ipsa terminorum consideratione intellegitur, saltem si sic enuntiatur: Deus *si* loquitur, verax est [1]. *Factum autem revelationis* (seu, in concreto, haec propositio: doctrina ecclesiae catholicae est revelatio divina) se ipso innotescit hoc modo. Revelatio divina in concreto sumpta constat duplici elemento, scil. verbis enuntiantibus veritatem et factis (miraculis, cet.), quibus verba exhibentur ut locutio divina. Siquidem facta miraculosa locutionem formalem non solum comitantur, sed eam adintegrant, una cum ea constituunt integram Dei locutionem. Jam integra haec locutio, a. v. doctrina ecclesiae non nuda, sed vestita omnibus factis miraculosis, quibus Deus ab initio mundi usque ad hunc diem illam doctrinam accreditavit et accreditat [2], se sistit intellectui credentis tamquam *subjectum*. Intellectus

---

[1] Proprie: Deus, *si exsistit et loquitur*, verax est. Exsistentia autem Dei ex locutione, ideoque ex facto revelationis constat. — [2] En quomodo card. FRANZELIN facta illa divina, locutionem formalem vestientia, describit. „Si consideratur fastigium divinae revelationis in Christo, imprimis tota vita Jesu Christi, miracula, mors et prae ceteris resurrectio, electio paucorum rudium hominum ad conversionem generis humani, missio Spiritus S. spectata in evidentibus effectibus; tum tota historia humani generis et maxime historia populi Israel cum omnibus suis manifestationibus supernaturalibus ut praeparatio et paedagogia ad Christum, atque tota historia christiana subsequens ut effectus promanans ab ipso Christo; apostolica praedicatio, mirabilis religionis propagatio, media ad finem propositum omnino contraria iis, quibus homines utuntur, et quae humanitus spectata non tam ad obtinendum quam ad impediendum effectum viderentur idonea; effectus autem ex nulla humana causa ingens et universalis in humano genere, inter ferrum et ignem, inter tormentorum omnia genera, quibus per tria saecula et amplius saevitum est, conversio omnium idearum ordinis theologici et moralis, commutatio totius vitae publicae et privatae; non minus mirabilis totius institutionis conservatio per saeculorum decursum, omnibus aetatibus moraliter perpetua sanctitas et virtutum nuspiam extra hanc religionem cognitarum constans exercitium heroicum in multis, aestimatio in omnibus, charismata supernaturalia effectibus etiam externis sese manifestantia; postremo totus hic rerum divinarum complexus tum universim tum in factis singulis diu antea promissus et praenuntiatus; haec inquam omnia simul spectata sunt totidem radii, quibus verbum propositum ut divinum resplendet et suam originem divinam manifestat" (l. c., p. 672.).

autem ex ipsa natura hujus subjecti ita considerati, ideoque non sine consideratione elementorum quibus constat, sed tamen immediate et absque discursu intellegit, huic subjecto convenire *praedicatum*: locutia divina.

Ceterum ipse de Lugo fatetur, immediatam illam cognitionem facti revelationis semper esse obscuram, quum immediata cognitio veracitatis Dei possit esse aut obscura aut clara. Praeterea observat cognitionem illam esse supernaturalem, quum perficiatur ab intellectu elevato per gratiam.

296. *Crisis.* In ponderanda hac Lugonis theoria breves esse possumus. Missis aliis, quae opponi possunt, unum urgemus: quantumvis subtiliter et ingenuose res tum ab ipso Lugone, tum imprimis a card. Franzelin construatur, cognitio nostra de facto revelationis reapse non est immediata, sed mediata, et ex argumentis credibilitatis comparata. „Si quis, ita ad rem SALMANTICENSES, non assentit, Deum relevasse mysterium incarnationis, nisi ei proponatur ab ecclesia ut quid miraculis confirmatum, attestatum martyribus, cet. jam non assentitur dictae propositioni ob immediatam terminorum connexionem, sed propter motiva, quae illius credibilitatem ostendunt" [1].

297. IV. **Tertia sententia**, quae videtur vera [2]. — Haec sententia ita procedit.

1° Auctoritas Dei revelantis, ut est objectum formale fidei, nulla alia ratione nobis innotescit nisi per argumenta credibilitatis.

2° Ipse actus fidei non est assensus virtualiter duplex, np. tum primo in objectum formale, tum secundo in objectum materiale; sed est assensus simplex in objectum materiale. Hinc non datur locus quaestioni: quomodo auctoritas Dei cognoscatur seu affirmetur in ipso actu fidei.

---

[1] *De Fide*, Disp. n° 189. — [2] Hanc sententiam post SALMANTICENSES (*De Fide*, Disp. 1, dub. V) aliosque, imprimis excoluit cl. L. BILLOT (*De Eccles.* I. Introd. § 2 et *De Virt. inf.* thes. 16), quem sequitur BAINVEL (*La Foi*, cet.). Substantiam rei quod spectat, eamdem sententiam sequuntur H. MAZZELLA, *Prael.* III[3], p. 511; PESCH, *Prael.* VIII, n° 320 seq., SCHIFFINI, *De Virt. inf.* p. 195; MANNENS, *Theol. dogm.* I, p. 443.

3° Motivum fidei est auctoritas Dei revelantis, a nobis (ante fidem) cognita; non vero nostra cognitio de auctoritate Dei revelantis. Auctoritas autem Dei, quocumque modo nobis innotuerit, meretur assensum super omnia firmum. Hinc:

4° Quaestio: undenam cognovisti auctoritatem Dei revelantis, jam non quaerit motivum ipsius fidei, sed meram ejus conditionem praeviam, scil. causam applicatoriam motivi; proinde ad analysim ipsius fidei non amplius pertinet.

Singulas assertiones, quantum opus est, expendemus.

Assertio prima, np. auctoritatem Dei revelantis, ut est objectum formale fidei [1], nobis non aliter innotescere nisi mediate, per argumenta credibilitatis, sponte fluit ex rejectione sententiarum, quas supra exposuimus. Neque enim „fides" suareziana, neque „intellectio" lugoniana sustineri potest. Ceterum res probatur experientia singulorum; quis enim de actu fidei suae ejusque praeparatione reflexe cogitans, umquam expertus est, se aliter adhuc quam per argumenta credibilitatis certiorari de motivo fidei? Sequitur, omnem *nostram cognitionem* de auctoritate Dei revelantis, ut est objectum formale fidei, vere resolvi in argumenta credibilitatis tamquam in suam causam motivam. Sequitur adhuc, ipsam fidem nostram resolvi in argumenta credibilitatis, tamquam in *praeviam conditionem, sine qua non.* Impossibile siquidem est, ut auctoritas Dei revelantis in intellectu meo munus objecti formalis exerceat, nisi prius ibi introducatur, i.e, nisi ejus exsistentia intellectui meo innotescat. **298.**

Assertio secunda, np. actum formalem fidei non dicere duplicem assensum, saltem virtualiter distinctum, sed assensum unum ac simplicem in solum objectum materiale, constat ipsa analysi **299.**

---

[1] Dico; in quantum est objectum *formale* fidei; nam extra controversiam est, quod divina veracitas et factum revelationis, quum eti am sint veritates revelatae, a nobis credi possunt ac debent fide divina; sed tunc habent rationem objecti *materialis.* In illo ergo particulari actu fidei, quo veracitatem Dei ejusque locutionem fide tenemus, credimus *revelatam* Dei revelantis auctoritatem, propter auctoritatem Dei revelantis *aliunde praecognitam.*

hujus actus. Sane qui credit v. g. ss. Trinitatem, ipso hoc actu non elicit primo assensum in auctoritatem Dei revelantis, deinde assensum in mysterium Trinitatis, sed simpliciter assentitur ss. Trinitati propter auctoritatem Dei revelantis, antea aliis actibus jam cognitam et affirmatam. Ipse actus fidei auctoritatem Dei revelantis non attingit *ut quod* (affirmatur, scitur, creditur), sed unice *ut quo*, seu *propter quod* (aliud affirmatur et creditur). Et ita ut impertinens eliminatur quaestio, quae analysim fidei inextricabilem reddit, qua ratione *in ipso* actu *fidei* auctoritas Dei affirmetur.

300. **Assertio tertia** et principalis distinguit inter cognitionem, seu certitudinem nostram de auctoritate et ipsam auctoritatem Dei revelantis a nobis cognitam; deinde statuit, hanc quidem esse motivum fidei nostrae, minime vero illam.

Ad hujus rei eliquationem sciendum est, voces „credere" et „fides" duplici modo adhiberi, np, tum in sensu pleno, tum in sensu quodam analogo. Fieri potest, ut assentiar enuntiationi, cujus internam veritatem non perspicio, ideo praecise et unice *quia certus sum* de veraci testimonio in casu: fides *scientifica* aut historica; et fieri potest, ut certus de veraci testimonio, rei testificatae assentiar praecise et formaliter *propter dignitatem, quam habet testificans ad hoc ut ei fidatur*: fides *simplicis auctoritatis*.

Per fidem *primo modo* intellectam credimus e. g. historias, quae a multis testibus coaevis consentientibus narrantur, aut exsistentiam Americae, quinimo hoc modo subinde in casu particulari plene credimus assertionem viri, cujus probitatem flocci facimus. Hac fide etiam daemones credunt mysteria revelationis christianae, „coacti evidentia signorum, ex quibus convincitur verum esse quod fideles credunt" [1]. Jam in hac fide *certitudo* de veraci testimonio in casu, non tantum est conditio praevia assensus, sed vere est *ultimum motivum* propter quod assensus praebetur; per consequens in hac fide firmitas assensus nostri commensuratur certitudini nostrae de veraci testimonio. Quare si hac fide mysteria revelationis cre-

[1] *Jac.* **2**, 19, s. THOMAS, *De Verit.* **14**, 19, ad 4. ubi patet jam s. Thomam duplicem fidem, de qua hic loquimur, distinxisse.

deremus, fides nostra vere resolveretur ultimo in argumenta credibilitatis. Attamen in tali modo credendi non nisi deficienter verificatur propria ratio fidei. Fides enim dicitur quasi alteri *fidens*; evidens autem est, quod in assensu de quo loquimur, parum fiduciae, proinde parum honoris et obsequii praestetur attestantibus. Absit igitur ut tali fide Deo credamus.

Per fidem *altero modo* intellectam, in qua sola propria fidei **301.** ratio plene verificatur, credunt e. g. puer matri suae et discipulus magistro, cujus scientiam ac perfectam sinceritatem admiratur. Ut haec fides simplicis auctoritatis possibilis sit, utique in antecessum constare debet de veracitate, seu morali probitate testis [1] et de facto testimonii: conditio praevia. Verum ubi haec constant, ratio formalis assentiendi et mensura firmitatis adhaesionis unice est auctoritas qua talis, i. e. dignitas moralis personae loquentis, vi cujus jus habet ad docilem mentis acquiescentiam [2]. Siquidem manifestum est, moralem dignitatem testis ut ei fidatur, etsi me movere nequit nisi cognoverim, vim suam nullo modo mutuare a mea cognitione et plane eamdem remanere, quacumque ratione aut via mihi innotuerit.

Porro Deo credere debemus non fide scientifica ut supra, sed fide simplicis auctoritatis: „Quum homo a Deo tamquam creatore et domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur" [3]. Sane quis fidelem diceret virum, qui ad quaestionem: cur credis mysterium ss. Trinitatis, responderet: non quia Deo tamquam primae veritati fido, sed pure et simpliciter quia scio, eum in casu non esse mentitum! Jam auctoritas, i. e. moralis dignitas Dei, ut ei fidatur, quocumque tandem modo nobis innotuerit, praecise quia est divina auctoritas, meretur assensum super omnia firmum; et ideo ipsa natura fidei

---

[1] Dico: *de morali probitate* testis, voluntatem fallendi *habitualiter* excludente; nam in fide scientifica minime requiritur, ut constet de habituali veracitate testis, dummodo certus sim, quod *in casu* non fallat. — [2] Quis non subinde audivit ultimum illud bonae matris argumentum: „Numquid *matri tuae* non credis?" Recte omnino; nam ipsa relatio maternitatis et amor maternalis loquenti tribuit titulum specialem, ut filius ei fidat et credat illa fide, de qua nunc loquimur. — [3] Conc. vatic. Const. *De fide*, cp. 3 —

divinae exigit, ut, quam primum constiterit Deum summe veracem esse locutum, *voluntas* determinet intellectum ad assentiendum ea firmitate, quae respondeat (non certitudini cognitionis nostrae de auctoritate Dei, sed) ipsi ponderi divinae auctoritatis in se sive juri quod habet Deus, ut ratio creata sese ei plenissime subjiciat, a. v. ad assentiendum firmissime. Hinc etiam intellegitur propositio damnata: „Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam meretur pondus rationum ad assensum impellentium" [1].

Vides igitur: **a.** qua ratione assensus fidei possit esse firmus super omnia, quamvis certitudo nostra de veracitate Dei et de facto revelationis sit tantum simpliciter firma, et simul **b.** quare ille assensus nullam aliam causam motivam habeat, praeter primam veritatem revelantem.

302. Ex praedictis sponte fluit conclusio seu **assertio quarta**: quaestionem, undenam cognoveris auctoritatem Dei revelantis, jam non agere de vero motivo interno fidei, nec proximo nec ultimo, sed potius de mera conditione praevia, proinde non pertinere ad analysim ipsius fidei. Ad rem BILLOT: „Si quaero a fideli: cur Trinitatem credis? respondere debebit: quia, qui Trinitatem revelavit, Deus, dignus est fide et quidem super omnia. Et responsio est adaequata, nec possibilis est ulterius inquirere in eadem linea. Nam si in linea directa eodemque ordine causarum ulterius inquireres, deberes quaerere: cur credis id, quod dictum est a fide digno? quae interrogatio est stulta et impertinens. Si urgeres dicens: unde scis Deum esse dignum fide vel revelasse Trinitatem? jam non inquiris de proprio motivo sub quo, vel propter quod assentior, sed solum quaeris undenam praesupposuerim exsistentiam illius auctoritatis, quam ut rationem assentiendi assumo, ac per

---

[1] Cfr. *Denz.* nº 1169. Propositio intellegenda est de rationibus *dispositive* ad assensum fidei impellentibus, i. e. de argumentis credibilitatis, non vero de motivo formali ipsius fidei. Etsi voluntas efficere *possit*, ut intellectus (non quidem fide divina, sed alio modo) propositioni assentiatur majori firmitate, quam objectum formale meretur, hujusmodi firmitatis excessus non esset rationabilis.

hoc petis motiva, non jam ipsius fidei secundum se, sed cognitionis quae praecedit, et se habet tantum ut praerequisita conditio. Ergo si sermo sit de objectiva resolutione actus fidei in suis intrinsecis constitutivis consideratae, nihil aliud est quaerendum ultra auctoritatem loquentis, cui ultimo fides ipsa innititur" [1].

Consectarium. *Ergo assensus fidei divinae non est conclusio logica.* — Card. de Lugo [2] et qui eum in quaestione de analysi fidei sequuntur, dicunt assensum fidei generari per discursum formalem aut virtualem (implicitam) ex duabus praemissis, quarum altera Dei auctoritatem, altera factum revelationis adstruit, hoc modo: *Quod Deus revelavit, verum est; atqui Deus revelavit se esse trinum; ergo verum est Deum esse trinum.* **303.**

Porro minime negamus legitimitatem hujus conclusionis; sed dicimus, eum, qui veritati ss. Trinitatis assentiretur *formaliter ut est conclusio* ex his praemissis, non elicere actum fidei in sensu pleno, sed solum actum fidei scientificae. Momentum quaestionis est hoc: si assensus fidei esset mera conclusio logica, niteretur in assensu praemissarum tamquam in vera sua causa motiva, proinde non posset esse firmior assensu praemissarum. Atqui argumenta credibilitatis, quibus veritatem illarum praemissarum cognoscimus, assensum firmum quidem merentur, non vero assensum ejus firmitatis, quam actus fidei divinae exigit.

Scholion. *De supernaturalitate objecti formalis fidei.* — Supra vidimus [3] Suarezium sententiam suam, de auctoritate Dei revelantis fide divina credenda, propugnasse ut ita consuleret non tantum supremae firmitati, sed etiam omnimodae supernaturalitati actus fidei. Ut enim, ita patroni illius sententiae, actus fidei super- **304.**

---

[1] *De Eccles.* I, p. 48. — Eodem modo révolvitur fides humana, dummodo sit fides in sensu pleno. Cogita e. g theologum, qui, nescio qua via, certus redditur hanc vel illam sententiam propugnari v.g. a.s. Augustino aut s. Thoma, et qui huic sententiae adhaeret formaliter propter maximam auctoritatem illorum sanctorum. Nonne evidens est, quod sola auctoritas Augustini et Thomae sit motivum etiam ultimum hujus fidei, minime vero testimonium modernorum ex quibus ille theologus forsan didicit, auctoritatem Thomae tantum valere et hanc sententiam ab eo propugnari? — [2] *De fide*, disp. 7. — [3] Supra n° 293.

naturalis sit, non sufficit principium seu causa efficiens supernaturalis (facultas elevata per gratiam), sed insuper requiritur objectum formale supernaturale, a. v. requiritur ut objectum formale fidei ex revelatione per fidem cognoscatur; ita enim, ni fallimur, rem intellegunt. Restat igitur ut videamus, *num et quo sensu objectum formale fidei debeat esse supernaturale*. Jam quamvis theologi hac de re diversimode loquantur, ita videtur respondendum. Ad actum fidei saluturis requiritur objectum formale supernaturale, i. e. motivum omnem exigentiam naturae creatae superans et habens ordinem ad finem nostrum supernaturalem: *concedo*; requiritur, ut illud motivum per fidem cognoscatur: *nego*. Atqui auctoritas Dei revelantis, etiamsi per argumenta naturalia innotescit, vere est aliquid supernaturale, nam quod Deus homini loquatur atque auctoritatem suam interponat, minime debetur naturae nostrae, neque Deus id facit nisi in ordine ad finem nostrum supernaturalem. Ergo.

Art. IV

De proprietatibus fidei

Praecipuae fidei salutaris proprietates sunt veritas, obscuritas, libertas, firmitas.

305. I. **Veritas fidei.** — Loquimur non de fide objectiva, quam credimus, sed de fide subjectiva, qua credimus, et dicimus *assensum fidei neccessario et infallibiliter connecti cum veritate*, ideoque repugnare ut per actum fidei *supernaturalis* teneatur sententia falsa, aut vera quidem sed non revelata. *Certum* est ex conc. trid., loquente de certitudine fidei, „cui non potest subesse falsum" [1].

Sane si assensui fidei subesset falsum, id eveniret aut ex eo, quod Deus falsum revelasset, aut ex eo quod homo fide supernaturali assentiretur sententiae, quam ipse ut revelatam habeat,

[1] S. VI, de Justif. cp. 9.

quamvis revelata non sit. Illa suppositio est evidenter absurda, de hac pauca sunt dicenda.

Utique contingere potest, ut homo aliquam propositionem falsam, aut veram quidem sed in revelatione non contentam, pro revelata habeat, eique quantum in se est assentiri conetur fide divina; nihilominus revera non praestabit nisi assensum naturalem, quod ita probatur.

Assensus fidei supernaturalis non habetur, nisi Deus concurrat elevando per gratiam suam (tum voluntatem imperantem, tum) intellectum elicientem assensum; atqui fieri nequit, ut Deus per gratiam elevet intellectum ad assensum ut supra, Sane assentiri falso, aut assentiri tamquam revelato ei, quod non est revelatum, est contra ordinem intellectus, cujus objectum est verum, ideoque est malum intellectui; repugnat autem, Deum auxilio supernaturali juvare intellectum ad operandum contra suum ordinem.

Plenioris intellegentiae gratia duo addimus: **306.**

a. Mirum non est, nos nullam experiri differentiam inter assensum illum, quem diximus naturalem, et assensum fidei supernaturalem; influxus enim gratiae omnem cognitionem naturalem non solum sensuum sed etiam conscientiae superat.

b. Quamvis Deus nequeat per gratiam juvare intellectum ad assentiendum falso, non sequitur eum non posse supernaturaliter concurrere cum voluntate illum assensum imperante, nam *velle* assentiri fide salutari propositione, quae ex errore invincibili habetur revelata, non malum sed bonum est. Ideo ipse assensus intellectus, de quo supra erit quidem naturalis, sed imperium voluntatis illum praecedens poterit esse supernaturale et meritorium [1].

II. **Obscuritas fidei.** — Fides christiana de facto importat co- **307.** gnitionem obscuram. Constat ex conc. vatic.: „Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali

[1] Cfr. DE LUGO, *De Fide*, disp. 4, n° 85 seq.

vita peregrinamur a domino: per fidem enim ambulamus et non per speciem" [1]. Hinc etiam s. Scriptura fidem vocat: „argumentum non apparentium" [2].

Fides cognitionem obscuram habet:

a. Ratione *objecti formalis*, quod non est interna rei evidentia, sed auctoritas Dei. Testimonium enim divinum, licet manifestet *quod* res ita sit, non aperit internam ejus rationem, non explicat *qualis* res sit. Igitur fidei essentiale est, quod *ipsa non faciat perspicere* internam rerum veritatem: prima et principalis ratio obscuritatis.

b. Ratione *objecti materialis*; nam objectum proprium fidei, tum primarium, tum magna saltem parte etiam secundarium [3], ejusmodi est, ut internam ejus veritatem nullo modo perspicere valeamus, quum captum rationis creatae omnino superet: altera ratio obscuritatis.

308. Et haec quidem certa sunt; sed valde disputatur, num ipsa ratio fidei divinae necessario exigat objectum materiale obscurum? Quum autem revelatio christiana plures veritates contineat, quae etiam intrinseca evidentia innotescere possunt, v. g, exsistentia unius Dei, immortalitas animae, cet. quaestio ita proponi solet:

Num eadem persona de eodem objecto, secundum eumdem respectum. possit simul habere actum scientiae et actum fidei?

Dicitur: *eadem persona*, potest enim „contingere ut id, quod est visum vel scitum ab uno homine, sit ab alio creditum, qui hoc demonstrative non novit" [4]; *simul*, i. e. eodem moraliter tempore, nam iterum fieri potest, ut quis primum habeat fidem alicujus objecti, cujus postea scientiam acquirit; *secundum eumdem respectum*, nam e.g. „de Deo potest aliquis demonstrative scire, quod sit unus, et credere quod sit trinus" [5]. Ceterum quaestio restringitur ad statum viae: certum enim est ex ipsa s. Scriptura, quod visio beatifica fidem excludit [6].

---

[1] *Const. De fide*, cp. 4: cfr. *II Cor.* **5**, 7. — [2] *Heb.* **11**, 1. — [3] Cfr. supra n° **201** et **202**. — [4] *S. Th.* II, II, 1, 5 c. — [5] L. c, ad 4. — [6] Cfr, *I Cor.* **13**, 9—13; *II Cor.* **5**, 7.

I° *Negat* s. Thomas et qui eum sequuntur[3]. Rationes sunt: **309.**
a. *auctoritas* Scripturae aperte docet fidem esse „argumentum non apparentium", i. e. eorum quae non videntur; unde consequenter habet, cessare fidem ubi advenerit visio coelestis patriae. Consonant plures ss. Patres: s. AUGUSTINUS: „Nescio utrum credere dicendus quisque quod videt: nam ipsa fides in ep. quae scribitur ad Hebr.. ita est definita: Est autem fides sperantium substantia, convictio rerum quae non videntur.... Nam et ille cui dictum est: quia vidisti credidisti, non hoc credidit quod vidit, sed aliud vidit, aliud credidit: vidit enim hominem, credidit Deum. Sed etsi dicuntur credi quae videntur, sicut dicit unusquisque oculis suis se credidisse, non tamen ipsa est quae in nobis aedificatur fides, sed ex rebus quae videntur agitur in nobis ut credantur, quae non videntur" [2]. s. GREGORIUS M.: „Hoc veraciter dicitur credi, quod non valet videri, nam credi jam non potest quod videri potest" [3]. — b. Propria *experientia*, secundum quam „nemo assensit propter testimonium dicentis, ubi evidentia rei praeoccupatur et intuetur ita esse, quae ab alio asseruntur. Quodsi videatur credere, haec non est fides proprie dicta, quae tangit testimonium praecise ut motivum et ei innitens credit objectum; sed est actus evidentiae, qui intuetur consonantiam inter testimonium et objectum et terminatur ad utrumque tamquam ad objectum *quod*, ut stat sub illa conformitate"[4].

Igitur secundum Thomistas philosophus fidelis non potest proprie loquendo credere exsistentiam Dei; habet de hac veritate actum scientiae tantum, qui tamen „redditur perfectior et certior intensive ex praesentia divini testimonii" [5]; nec sequitur quod pro illo

---

[1] *S. Th.* II, II, **1**, 4 et 5; *De Verit.* q. **14**, a. 9; SALMANTIC., *De fide*, Disp. III, dub. II et III; ZIGLIARA, *Summa Philos.*, Ontol. l III, c. 3. a. 2, VII; DE GROOT, *Summa de Eccles.*, q XX, a. 2, IV et V; BILLOT, *De Virt. infus.* thes **11**. — [2] *Tract. in Jo.* **79**, n° 1; cfr. **40**, n° 9. — [3] *Dial*, l. IV, cp. **6**; cfr. *Hom. in Evang.* 26, n° 8. — [4] SALMANTIC., l. c., n° 33—36. — [5] L. c., n° 86. Adjungimus hunc locum ex iisdem SALMANTIC.: „Licet repugnet credere veritatem, quam homo evidenter cognoscit, minime tamen repugnat credere, quod illa veritas est a Deo revelata; de facto enim qui evidenter scimus, Deum esse, id non credimus; et tamen credimns quod Deus revelavit se exsistere.... Eo autem ipso, quod credamus praedictam veritatem esse a Deo dictam, majorem de ejus infallibilitate certitudinem assequimur.... Ergo licet testimonium Dei, quod est proprium motivum fidei.

minuatur meritum fidei, nam „quando homo habet voluntatem credendi ea, quae sunt fidei, ex sola auctoritate divina, etiamsi habeat rationem demonstrativam ad aliquid eorum, puta ad hoc quod est: Deum esse, non propter hoc tollitur vel diminuitur meritum fidei" [1]. Ad objectionem desumptam ex verbis: „Credere oportet accedentem ad Deum, quia est," respondent, ibi agi de exsistentia Dei non simpliciter, sed ut est auctor ordinis supernaturalis [2].

310. 2°. *Affirmat* Suarez cum plurimis aliis [3]. Nihil impedit, aiunt, quominus intellectus assentiatur alicui veritati propter duplex motivum distinctum, scil. propter intrinsecam rei evidentiam et simul propter auctoritatem Dei, ideoque nihil impedit, quominus eadem veritas simul sciatur et credatur fide divina; quinimo id non solum fieri potest sed etiam fieri debet, nam ecclesia jubet ut omnes, etiam doctissimi dicant: „Credo in unum Deum": praeterea conc. vatic aperte habet: „Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto et tradito continentur et ab ecclesia tamquam divinitus revelata proponuntur". In his autem plura sunt quae demonstrative cognosci possunt [4].

Ad rationes autem Thomistarum respondent: **a.** s. Scripturam et ss. Patres ita loqui, quia fides est principaliter et primario de non apparentibus, de aliis autem secundario tantum; **b.** propria experientia potius constare, quod homines saepissime aliquam veritatem admittunt tum propter intrinsecam evidentiam, tum simul

---

non moveat exercite et per modum motivi specificantis assensum evidentem hujus veritatis: Deus est; concurrit tamen per modum motivi extrinsece regulantis majorem praedicti assensus certitudinem. (L. c., n° 85.) — [1] *S. Th.* II, II, 2, 10, ad 1. — [2] SALMANT., l. c., n° 51. — [3] SUAREZ, *De fide*, Disp. III, s. 9; LUGO, Disp. II, s. 2; FRANZELIN, *De Deo uno*, s. I, thes. 9; JANSEN, *Prael.*, I., p. 734; BROUWER, *De fide*. p. 244; PESCH, VIII, 402; WILMERS, *De fide*, p. 206; MANNENS, *Theol. dogm.* I, n° 744; SCHIFFINI, *De Virt. infus*, n° 78. — [4] Respondetur a thomistis, exigi a singulis ut credant, non praecise exsistentiam unius Dei, sed unius Dei, qui est Pater, Filius et Spiritus Sanctus; concilium autem vatic. non docere voluisse, quo assensu singuli singula revelata tenere debeant, sed objectum materiale fidei catholicae in confuso determinasse; porro „ea, quae demonstrative probari possunt, inter credenda numerantur, non quia de ipsis simpliciter est fides apud omnes, sed quia praeexiguntur ad ea quae sunt fidei, et oportet ea saltem per fidem praesupponi ab his, qui eorum demonstrationem non habent" (*S. Th.* II, II, 1, 5 ad 3.).

propter testimonium divinum, quod longe majorem certitudinem praebet.

Secunda sententia inter recentiores communior est; prima vide- **311.**
tur verior, dummodo coarctetur ad ea, quae sunt perfecte evidentia, ita ut non remaneat obscuritas plenam mentis quietudinem impediens. Neque hanc restrictionem, quam etiam nonnulli secundae sententiae patroni admittunt, a mente s. Thomae alienam putamus.

Corollarium. Plures theologi post Lugonem [1] ad essèntialem **312.**
fidei obscuritatem insuper requirunt *inevidentiam attestantis*, i. e. absentiam *perfectae* evidentiae de facto revelationis. Dicunt enim, si factum revelationis alicui ita plene illuceret, ut vel imprudentis dubii possibilitas excluderetur, assensus fidei non laboraret ea obscuritate, quae ad veram ejus libertatem requiritur.

Porro certum est, perfectissimam evidentiam de facto revelationis non aperire internam rerum credendarum veritatem, proinde non auferre proprie dictam obscuritatem fidei. Quomodo autem non tollat necessariam fidei libertatem statim dicemus.

III. **Libertas fidei.** — Assensus fidei divinae est assensus liber. **313.**
Dogma fidei est ex conc. vatic.: „Fides ipsa in se, etiamsi per charitatem non operetur, donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae ejus cui resistere posset, consentiendo et cooperando"; et: „S. q. d., assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci; aut ad solam fidem vivam, quae per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse, a. s." [2] Definitio respicit Georgium Hermes († 1831), qui distinguendo *fidem cognitionis*, qua veritati revelatae intellectu assentimur, et *fidem cordis*, quae per charitatem operatur [3], contenderat hanc quidem liberam esse et donum Dei, illam vero per argumenta rationalia necessario produci posse, nec gratiae auxilium requirere.

[1] *De Fide*, Disp. II. s. 1. — [2] Const *De fide*, cp. 3 et can. III, 5. — [3] *Erkentnissglaube* et *Herzensglaube*. Cfr. *Col. lacens*, T. VII, p. 529.

Agitur in praesenti de interna libertate fidei, unde sensus dogmatis catholici est, etiam post considerationem motivorum credibilitatis, ipsumque judicium credibilitatis latum, assensum fidei adhuc a libero voluntatis decreto pendere. Probationem ex fontibus revelationis supra dedimus [1]; restat igitur, ut internam rationem libertatis fidei aperiamus.

Intellectus ex sese non magis determinatur ad adhaerendum alicui propositioni, quam ad non adhaerendum ei; ut igitur ei adhaereat determinari debet per aliquid movens ipsum. Intellectus autem moveri potest aut per proprium suum objectum, i. e. per intrinsecam rerum veritatem ei affulgentem, aut per voluntatem.

Ubi interna rei veritas intellectui aut immediate, aut saltem mediate apparet, voluntas non habet intervenire, hinc assensus intellectus et scientiae est necessarius [2].

Ubi vero interna rei veritas non apparet, intellectus non potest firmiter adhaerere, nisi ad hoc „determinetur per voluntatem, quae eligit assentire propter aliquid, quod est sufficiens ad movendam voluntatem, non autem ad movendum intellectum, utpote quod videtur bonum vel conveniens assentire; et ista est disposito credentis" [3]: a. v. quia in fide veritas rei non apparet intellectui, intellectus non potest assentire nisi ex imperio voluntatis.

315. Nunc autem recollige differentiam fidei scientificae, et fidei simplicis auctoritatis, quae sola in sensu pleno nomen fidei meretur.

---

[1] Cfr. supra, n° 267. — [2] Saltem ubi *perfecte* verificatur ratio scientiae, i. e. ubi veritas ita perfecte intellectui apparet, ut ille omnino quietatus sit, tunc enim omnis dubitandi possibilitas excluditur. At frequenter evenit, ut veritas appareat quidem intellectui, sed non ita perfecte; quando scil. ab una parte habentur motiva interna rem vere conficientia, sed ab alia parte manent difficultates non satis solutae. Tunc intellectus non est omnino quietatus, neque excluditur omnis dubitandi possibilitas, sed tantum possibilitas prudentur dubitandi; quare ut in illo casu habeatur adhaesio firma voluntas intervenire debet ad removendam irrationabilem haesitationem. Habetur in illo casu assensus scientiae, sed qui a perfectione scientiae aliquantulum deficit, quatenus scil. veritas non plene apparet. Nihilominus assensus manet simpliciter scientificus, quia causa per se firmae adhaesionis est ipsa veritas apparens, cum voluntas removendo irrationabilem haesitationem ad eam non concurrat nisi ut *causa per accidens*. — Aliter omnino est in assensu fidei: ibi imperium voluntatus est causa per se, causa directa firmae adhaesionis, uti patet in textu. Cfr. BILLOT, *De Ecclesia*, I. p. 32. — [3] S. THOM., *De Verit.* **14**, 1 c.

Assensus fidei scientificae, qui scil. praebetur formaliter propter certitudinem veracis testimonii in casu, semper quidem a voluntate imperatur, sed non semper imperatur libere. Semper imperatur a voluntate, nam ubi interna rei veritas non illucet, intellectus non potest illi assentiri nisi ex impulsu voluntatis. Non semper imperatur libere, nam ubi veritas testimonii menti plenissima evidentia affulget, et res testificata nullam peculiarem difficultatem involvit, voluntas necessario movet intellectum ad assentiendum, quia in hujusmodi casu non-velle assentiri tam immanem imprudentiam argueret, ut ne speciem quidem boni haberet; voluntas autem nequit appetere, nisi quod saltem apparenter bonum est. Hinc v. g. nemo nostrum negare poterit exsistentiam Romae, aut Napoleonis. Attamen hujusmodi assensus necessarius in sola fide scientifica, in qua propria ratio fidei non nisi deficienter verificatur, obtinere potest. Quantacumque enim evidentia factum testimonii et veracitas testis mihi affulgeat, voluntas numquam necessitatur ad imperandum assensum formaliter propter auctoritatem; i. e. propter dignitatem moralem, qua loquens jus habet ad docilem mentis submissionem. Et ita assensus fidei simplicis auctoritatis, qualis debet esse actus fidei salutaris, semper procedit ex libero voluntatis decreto.

Ex dictis duo inferuntur. **316.**

1⁰ Si cui tum veracitas Dei, tum factum revelationis fiat *perfecte* evidens, ita ut de illis ne imprudenter quidem dubitare possit, ejus fides libera erit, non quidem libertate contrarietatis, sed *libertate exercitii*. Etenim veritatem revelatam negare aut in dubium vocare non poterit, sed necessario illi assentietur saltem propter certitudinem veracis testimonii, i. e. fide analoge ita dicta [1]. Nihilominus vere liber erit, ad praestandum vel non praestandum assensum formaliter propter Dei auctoritatem, qua talem, i. e. assensum fidei theologicae. Hinc explicatur, quomodo angeli in statu viae,

[1] Hac ratione ut supra n⁰ **300** jam diximus, „daemones credunt et contremiscunt" (*Jac.* **2**, 19): fide non tantum naturali, sed etiam analoga, i. e. fide scientifica. *S. Th.* II, II, **5**, **2**; *De Verit.* **14**, 9, ad 4.

prophetae, b. Virgo, apostoli habuerint fidem liberam ac meritoriam de iis veritatibus, quarum revelatio illis erat perfecte evidens. Errant igitur qui cum Lugone [1] aliisque putant, fidem liberam stare non posse cum perfecta evidentia in attestante.

2⁰ Illis, quibus factum revelationis *non est perfecte* evidens, ita ut de illo dubitare, quamvis imprudenter tantum, possint, fides libera est *libertate tum exercitii, tum contrarietatis*. Hi enim non solum abstinere possunt ab assensu formaliter propter summam Dei auctoritatem, qua talem, eliciendo, sed insuper veritates revelatas in dubium vocare aut eas negare possunt, revocando scil. in dubium aut rejiciendo ipsum factum revelationis divinae. Et haec solet esse conditio eorum, quibus revelatio non immediate facta est.

Quamvis igitur absentia perfectae evidentiae in attestante non requiratur ad essentialem fidei libertatem, certe auget libertatem ac per consequens meritum fidei nostrae,

317. *Corollarium*. Ex iis, quae de fidei obscuritate et libertate diximus, facile explicatur illud s. Augustini: „Credere nihil aliud est, quam cum assensione cogitare" [2]. „Cogitare" (= coagitare) ibi sumitur pro deliberatione et inquisitione, quae naturaliter oriuntur in intellectu, quamdiu illi satisfactum non est per manifestam visionem veritatis. s. THOMAS: „Quia [in assensu fidei] intellectus non hoc modo terminatur ad unum, ut ad proprium terminum perducatur, qui est visio alicujus intellegibilis, inde est quod ejus motus nondum est quietatus, sed adhuc habet cogitationem et inquisitionem de his quae credit, quamvis firmissime eis assentiat. Quantum enim est ex seipso non est ei satisfactum, nec est terminatus ad unum, sed terminatur tantum ex extrinseco. Et inde est, quod intellectus credentis dicitur esse *captivatus* [3], quia tenetur terminis alienis et non propriis. Inde etiam est, quod in credente potest insurgere motus de contrario hujus, quod firmissime tenet [a. v. dubitatio indeliberata], quamvis non in intellegente et sciente" [4].

---

[1] *De fide*, Disp. II, s. 1 — [2] *De Praedest. Sanct.* c. 2, n⁰ 5. — [3] *II Cor.* **10**, 5: „In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi". — [4] *De Verit.* **14**, 1, c.; cfr. *S. Th.* II, II, 2, 1.

IV. **Firmitas fidei.** — In certitudine duplex elementum distin- **318.**
guendum est: elementum negativum, exclusio formidinis oppositi; et elementum positivum, firma adhaesio in veritatem. Quantum *ad exclusionem dubii* non dantur gradus, omnis enim certitudo illud aequaliter excludit. Observa tamen, quod loquamur de actuali exclusione dubii, non de exclusione possibilitatis dubitandi; hanc enim non omnis certitudo excludit, sed ea tantum quae oritur ex evidentia plenissime percepta.

Quoad *firmitatem adhaesionis*, in qua certitudo formaliter consistit, dantur varii gradus, secundum quod motivum assensus majorem necessitatem importare noscitur.

Porro *assensus fidei essentialiter est assensus firmus super omnia*' hoc scil. sensu, quod nemo habeat actum fidei salutaris, nisi auctoritatem Dei revelantis pluris aestimet quocumque alio motivo, ideoque judicet, nihil ita repugnare quam testimonium divinum cadens in rem falsam. Quodsi fit, voluntas mota per gratiam efficere potest ac debet, ut intellectus, etsi non quietatur per claram visionem, veritatibus revelatis firmissime assentiatur, pluris aestimando judicium Dei (quod credendo facit suum) quam proprium judicium quantumvis evidens. Hinc s. THOMAS: „Quantum ad firmitatem adhaesionis fides est certior omni intellectu et scientia, quia prima veritas, quae causat fidei assensum, est fortior causa quam lumen rationis quod causat assensum intellectus vel scientiae" [1].

Assertio *probatur*: **a.** ex s. *Scriptura*, quae exigit adhaesionem certissimam [2], plenissimam [3], ex toto corde [4], et docet auctoritatem Dei praeferendam esse non tantum testimonio humano [5], sed etiam propriis sensibus [6]. **b.** *Ratione theologica*. Fides salutaris est opus bonum, quo Deus honoratur, Atqui qui auctoritatem Dei cuivis

---

[1] *De Verit.* **14**, 1 ad 7; cfr. *S. Th.* II, II. 4, 8. — [2] *Act.* **2**, 63: „*Certissime* sciat omnis domus Israel, quia et Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Jesum quem vos crucifixistis." — [3] *Rom.* **4**, 20—21: Abraham „confortatus est fide, dans gloriam Deo, *plenissime* sciens, quia quaecumque promisit potens est et facere." — [4] *Act.* **8**, 37: „Dixit autem Philippus: si credis *ex toto corde* licet." — [5] *I Jo.* **5**, 9: „Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est." — [6] *II Petr.* 1 16—19: „Speculatores facti illius magnitudinis.... Hanc vocem nos audivimus de coelo allatam.... Et habemus *firmiorem* propheticum sermonem."

alii assentiendi motivo non praeferret, Deum non honoraret, sed potius contumelia afficeret.

319. *Corollaria.* 1° Quum assensus fidei debeat esse firmus *super omnia*, sequitur fideles semper paratos esse debere ad rejiciendum tamquam errorem omnem sententiam, quae *certo* opponitur veritati *certo* revelatae, quantumvis peremptoria fortasse *videantur* argumenta naturalia, quae eam suadent. Sed non sequitur, illos paratos esse debere ad rejiciendam potius quamcumque veritatem naturaliter evidentem, quam veritatem fidei. Talis dispositio impossibilis est, et qui eam exigeret aperte niteretur in suppositione absurda, quod Deus potuerit revelare aliquam doctrinam veritati naturaliter evidenti contrariam. *Magis repugnat*, falsam esse sententiam revelatam, quam sententiam naturaliter evidentem, ideo assensus fidei firmitate excedit omnem cognitionem evidentem; sed nihilominus *etiam repugnat*, sententiam naturaliter evidentem esse falsam.

320. 2° Firmitas fidei non est confundenda cum ejus *irrevocabilitate*. Et quidem assensus fidei non est physice irrevocabilis, uti manifeste sequitur ex ejus libertate. Est autem irrevocabilis moraliter, hoc scil. sensu quod non potest licite revocari. Et haec irrevocabilitas moralis effective sequitur immobilitatem certitudinis de facto revelationis, quam supra explicavimus [1], eique commensuratur. Praeterea assensus fidei natura sua est irrevocabilis affective, quatenus nemo veritati revelatae adhaerere potest assensu super omnia firmo, quin saltem implicite velit assensum perpetuo retinere.

321. **Scholion.** *De inaequalitate fidei.* — Nemo habet assensum fidei salutaris, nisi veritati revelatae firmissime adhaereat, auctoritatem Dei super omnia aestimando; sub hoc igitur respectu, i. e. secundum aestimationem objecti formalis fides aequalis est in omnibus credentibus. Nihilominus sub aliis respectibus fides potest esse major vel, si placet, firmior in uno quam in alio. Et quidem:

---

[1] Supra n° 279—280.

a. secundum *intensitatem actus*; nam assensus super omnia firmus secundum aestimationem motivi, cum majori minorive conatu, impetu, fervore tum a voluntate imperari, tum ab intellectu elici potest. Cogita virum, qui summis viribus irrumpentem dubitationem v. g. contra realem praesentiam repellit. Hinc s. THOMAS: „De ratione fidei est, ut veritas prima omnibus praeferatur, sed tamen eorum, qui eam omnibus praeferunt, quidam certius [intensiori applicatione intellectus] et devotius [majori fervore voluntatis] se ei subjiciunt"[2]. **b.** Secundum *influxum practicum in mores*; nam ex duobus credentibus fides in uno languescit, in alio ita vivit ut in ejus judicia et actiones plurimum influat [2]. Quod pendet tum ex intensitate tum ex frequentia, qua actus fidei eliciuntur. **c.** Secundum *radicationem in anima*; nam radices fidei altiores et firmiores sunt in uno quam in alio, ita ut in aequalibus periculis externis alius alio facilius a fide deficiet. Ex parte intellectus fides magis radicatur in eo, qui vim motivorum credibilitatis et inanitatem rationum, quae fidei opponuntur plenius cognoscit; ex parte voluntatis fides altius radicatur in eo, qui habet voluntatem tenaciorem et ad credendum promptiorem, magisque immunis est ab affectibus fidei contrariis (superbia, animus terrena sapiens, vitia carnalia) [3]. Denique **d.** ipsa virtus fidei, secundum se spectata, perfectior est in uno quam in alio, ut dicetur in tract. *De Gratia*. — Hinc patet, quo sensu alii dicantur fortes in fide, alii debiles [4]; quo sensu fides in singulis fidelibus crescere ac minui possit.

Facile intellegitur, majorem fidei perfectionem in sensu exposito, quae multos gradus admittit, summi momenti esse in negotio

---

[1] *S. Th.* II, II. **5**, **4** ad 2. — [2] Observa, fidem languidam non necessario coincidere cum fide mortua (informi), nec fidem operosam cum fide viva (formata). Nihilominus nec fides operosa diu informis erit, nec fides languida diu formata remanere solet. — [3] Cfr. DE LUGO, *De Fide*, disp. **16**, n° 66–68. — [4] Igitur perperam omnino ex *Mt.* **14**, 31: „Modicae fidei, quare dubitasti", deduceretur, fidem modicam seu parvam esse eam, quae habet adjunctam dubitationem de suo objecto. Agitur in illo loco de fide, in quantum generat fiduciam (n° **178**) et fides Petri modica dicitur, quatenus terror ex impetu ventorum conceptus superabat fiduciam ex fide generatam, quod minorem fidei intensitatem arguit.

salutis. Pendet autem tum a propria cujusque cooperatione, tum ultimo a mensura gratiae; unde quotidie precamur: Domine, adauge nobis fidem!

Art. V

De subjecto et necessitate fidei

322. I. **Subjectum.** Quum de solo actu, non de habitu fidei dicamus, breves esse possumus.

1° *Angeli et beati* actum fidei non habent. — Certum est ex s. Scriptura: *I Cor.* **13**, 9—13; *II Cor.* **5**, 7. — s. Thomas: „Fides in sui ratione habet imperfectionem, quae est ex parte subjecti, ut scil. credens non videat id, quod credit; beatitudo autem de sui ratione habet perfectionem ex parte subjecti, ut scil. beatus videat id, quo beatificatur .... Unde manifestum est, quod impossibile est quod fides maneat simul et beatitudo in eodem subjecto" [1]. — Pleniorem explicationem habes v. g. apud Pesch [2].

2° *Daemones et damnati* actum fidei non habent. — Ratio: carent tum gratiae auxilio, tum bona voluntate, quae ad credendum fide simplicis auctoritatis omnino requiritur [3].

3° *Haeretici formales* ne quidem de veritatibus revelatis, quas admittunt, actum fidei divinae habent. — Fides divina importat assensum firmissimum propter auctoritatem Dei, super omnia aestimatam. Jam qui unam doctrinam, satis sibi propositam ut revelatam, admittere renuit, evidenter ostendit, se auctoritatem Dei non super omnia aestimare, sed propriae electioni postponere. „Unde manifestum est, quod talis haereticus circa unum articulum fidem non habet de aliis articulis, sed opinionem quamdam secundum propriam voluntatem" [4]. Hinc Leo XIII: „Qui enim sumunt de doctrina christiana quod malunt, ii judicio suo nituntur, non fide: iidem minime in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, sibimetipsis verius obtemperant, quam Deo" [5].

[1] *S. Th.* II, II, **67**, 3 c. — [2] *Prael. dogm.* T. VIII, n° 397 seq. — [3] Cfr. supra n° **316**. — [4] *S. Th.* I, II, **5**, 3 c. — [5] Enc. *Satis cognitum*, 29 Jun. 1896 (*Leonis XIII alloc.* cet. Ed. Desclée, T. VI, p. 171).

Verum quidem est haereticos et incredulos vix umquam diserte impugnare auctoritatem Dei, sed potius ex professo rejicere aut in dubium revocare factum revelationis, vel universim vel saltem pro determinata doctrina. Nihilominus exinde a peccato haereseos aut infidelitatis non excusantur. Revelationem sacrae doctrinae satis cognoscunt (secus enim haeretici formales aut infideles positivi non sunt, sed inculpabiliter errantes) et nihilominus eam admittere nolunt; ut autem officio credendi nimis aperto se subtrahant, sibi creant aut saltem unice attendunt difficultates revelationem talis doctrinae obnubilantes, et ita praecise *ex defectu voluntatis credendi*, studiose sibi praeparant ignorantiam quamdam voluntariam circa factum revelationis; quod revera nihil aliud est quam fucum sibi et aliis facere [1].

Alia omnino ratione judicandum est de iis, qui citra gravem suam culpam ab ecclesia exsulant. Qui infans valide baptizatur, recipit virtutem infusam fidei, quam retinet quamdiu non commiserit aliquod formale peccatum infidelitatis. Quodsi inter acatholicos nutritus, Christi ecclesiam inculpabiliter ignorando, sectae adhaereat, habebit actum fidei salutaris de omnibus doctrinis revelatis, quas tenuerit. Quoad doctrinas non revelatas, quas forsan cum sua secta admittet, valent ea quae supra [2] diximus. Et merito observat cl. BROUWER: „Si, oborto dubio [serio] de veritate suae sectae, veritatem inquirere negligit, graviter peccat, nec tamen semper habitum fidei amittit; nam gravis ista negligentia non semper importat deliberatam dubitationem aut negationem auctoritatis divinae, nec necessario expellit pium credulitatis affectum, quo paratus est veritati sufficienter propositae fidem adhibere. A fortiori habitus fidei non expellitur, si serium instituit examen circa veritatem, licet interim, dubitans quaenam sit vera Christi ecclesia, assensum fidei suspendat, paratus fidem praestare quamprimum veritas sufficienter innotescat" [3].

---

[1] Eadem ratione qui legitimo superiori obedire detractant, saepe non concedunt, se auctoritati legitime constitutae cedere nolle, sed potius factum justi praecepti obscurare nituntur, dicendo v. g. superiorem non rite edoctum esse de adjunctis, iis malevolorum opera nimis infensum esse, cet. — [2] Cfr. supra n° **305**. — [3] *De fide divina*, p. 197.

323. II. **Necessitas** fidei alia est medii, alia solius praecepti [1]; hanc moralistis relinquendo, illam tantum consideramus.

Porro necessitas fidei actualis solos adultos respicit ac respicere potest; infantes salvantur fide habituali, quam baptismate acquirunt. His igitur praesuppositis et misso etiam errore rationalistarum, qui, ipsam revelationem excludendo, necessaria consequentia etiam fidem respuunt, duplex remanet quaestio, altera de absoluta necessitate fidei proprie dictae, altera de necessario ejus objecto.

1° *Num actus fidei proprie dictae absolute necessarius sit ad justificationem et salutem.* — Pauci quidam theologi, ut voluntatem Dei salvandi omnes homines facilius conciliarent cum impossibilitate, qua multi gentiles a cognoscenda revelatione impediri videntur, statuerunt necessitatem fidei stricte dictae non esse absolutam, sed pro hominibus supernaturalem revelationem invincibiliter ignorantibus sufficere fidem quamdam late dictam, *notitiam scil. de Deo exsistenti et remuneratore haustam ex testimonio creaturarum*, quod sensu quodam impropri revelatio vocari potest [2]. Alii hanc sententiam ita correxerunt, ut dicerent, sufficere *notitiam* ut supra, i. e. *ex parte objecti formalis naturalem, si sit supernaturalis ex parte principii*, i. e. si eliciatur sub auxilio gratiae elevantis. Haec opinio, quae olim Ripaldae († 1648) placuit, quin eam amplecti auderet [3], nostris diebus defenditur a cl. Gutberlet [4] et G. Konings [5]. Argumenta hujus opinionis sunt: **a.** nonnulli textus Scripturae, quibus commendatur cognitio de Deo et lege naturali ex creaturis; unde concludendum autumant, etiam hanc cognitionem defectu revelationis hominem ad finem suum perducere posse [6]. **b.** Idem apertius insinuant, imo aliquando docent nonnulli patres, imprimis antiquiores [7]. **c.** Nulla ratio intrinseca absolutam necessitatem fidei stricte dictae probat.

[1] Explicationem hujus distinctionis habes in Tract. *De Eccles.* n° **159**. — [2] Ita Andr. Vega et Soto (qui tamen sententiam suam mutavit) apud SCHIFFINI, *De Virt.* p. 291. — [3] *De Ente supern.* disp. 20, n° 118–123 et *De fide*, disp. **17**, n° 142—219. — [4] HEINRICH—GUTBERLET, *Dogm. Theol.* T. VIII, p. 494 seq.; contra quem scripserunt F. SCHMID, *Die ausserordentl. Heilswege f. d. gefallene Menschheit*, 1899, p. 65 seq. et W. LIESE, *Der heilsnotwendige Glaube* (1902). — [5] G. KONINGS, *De Gratia actuali*, 1907. p. 113. — [6] Cfr. v. g. *Sap.* **13**, 1 seq.; Prov. I, 20 seq ; *Act.* **14**, 16 (lege annot. ALLIOLI in h. l.), **17**, 26 Seq.; *Rom.* **1**, 18 seq.; **2**, 13—16. — [7] V. g. s. Justinus, Clemens alex., Athanasius, Chrysostomus, Augustinus, auctor op. *De vocatione omnium gentium*; cfr. SCHMID, l. c., p. 74 seq.

Nihilominus *sententia communissima* absolutam necessitatem actus fidei ad justificationem tuetur. Dico: actus fidei, seu fidei *in actu*, nam necessitas fidei proprie dictae in voto (implicito) a nemine negatur. **324.**

Haec doctrina *probatur*. 1° Ex *s. Scriptura*. Textus principalis est: „Sine fide impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum quia est et inquirentibus se remunerator sit" [1]. Prima facie patet, agi non de mero praecepto, sed de medio necessario. Requiritur fides actualis, qua scil. creduntur duae veritates diserte adjectae. Neque intellegi potest fides in sensu improprio, nam integrum caput tractat de ea fide, quae est „sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium". — Loci autem, qui naturalem cognitionem Dei legisque naturalis commendant, intellegi possunt de indirecta utilitate hujus cognitionis ad salutem, quatenus aut negative ad fidem praeparat, aut conservationem primitivae revelationis faciliorem reddebat [2].

2° Ex *Traditione*. Etsi patres necessitatem fidei saepissime docent et multum inculcant, quaestionem peculiarem de qua in praesenti agimus ex professo non tractarunt, hinc saepe non ita facile dijudicatur, num pro omni casu praecise fidem in sensu stricto requirant; quinimo fatendum est, quaedam effata, imprimis apud antiquiores, benigniori sententiae favere [3]. Verum ex principiis catholicis genuinus sensus traditionis, apud antiquos non ita manifestus, declaratur consensu manifesto posteriorum. Porro consensus scholarum per plura saecula talis est, ut Ripalda hac praecise de causa sententiam, in quam inclinabat, probabilem dicere non auderet [4]. Quinimo huic doctrinae scholarum, ut parum dicam, aperte favent concilia trid. et vatic., *Conc. trid.* in decreto de justificatione, primum dicit, homines disponi „ad ipsam justitiam, dum fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt", et laudat verba Scripturae: „Credere oportet accedentem ad Deum" cet, (S. 6, cp. 6); deinde enumerando causas justificationis docet, causam

[1] *Heb.* **11**, 6. Alii loci sunt *Rom.* **1**, 17; *Heb.* **10**, 38; *Gal.* **2**, 16. — [2] Cfr. SCHMID, l. c, p. 113. — [3] Doctrinam patristicam sollicite exquirit et explicat LIESE, op. c. — [4] *De Ente Supern.* l. c. n° 123; *De fide*, l. c. n° 213.

instrumentalem esse baptismum, „quod est sacramentum fidei, sine qua nulli umquam contigit justificatio" (cp. 7); denique declarat, verba apostoli, hominem justificari per fidem, intelligenda esse „in eo sensu, quem perpetuus ecclesiae catholicae sensus tenuit et expressit, ut scil, per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanae salutis initium, fundamentem et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo et ad filiorum ejus consortium pervenire" (cp. 8), Numquid rationabiliter sustineri potest, concilium, dicendo nulli umquam contigisse justificationem sine fide (cp. 7), et impossibile esse placere Deo sine fide (cp. 8), aliam adhuc fidem intellexisse praeter eam, quam paulo antea (cp. 6) descripserat, scil. fidem in sensu proprio? *Conc. vatic.* post definitionem fidei, aliaque quae apertissime solam fidem in sensu proprio respiciunt, adjicit: „Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire; ideo nemini umquam sine illa contigit justificatio, nec ullus nisi in ea perseveraverit usque in finem vitam aeternam assequetur" [1].

325. 3⁰ *Ratione interna.* Concedendum putamus, solis rationibus intestinis absolutam necessitatem fidei in sensu stricto non plene probari. Spectata potentia Dei absoluta, non videtur repugnare, quominus homo, habens cognitionem de exsistentia Dei remuneratoris [2], ratione objecti formalis naturalem sed ratione principii supernaturalem, i. e. gratia elevanti nobilitatam, hac cognitione praelucente ad actum perfecti amoris (iterum ratione solius principii supernaturalem) perveniat, et ita sufficienter disponatur ad justificationem.

Nihilominus minus congruum videtur, ut homo ratione utens ad

---

[1] Const. *De fide*, cp. 3. Cf.. tamen *Coll. lac.* VII p. 160 et 178. — Praeterea Innocentius XI a. 1679 proscripsit prop.: „*Fides late dicta ex testimonio creaturarum similive motivo ad justificationem sufficit.*" Nihilominus haec damnatio rem non plene conficit. Propositio una cum multis aliis damnata est „prout jacent, ut minimum tamquam scandalosae et in praxi perniciosae." Atqui, ita Gutberlet (l. c, p. 494), propositio hanc censuram meretur, quia *nimis generalis* est, primo enim non distinguit cognitionem ex parte principii naturalem et supernaturalem, deinde sufficientiam cognitionis haustae ex creaturis non coarctat ad eos, qui supernaturalem revelationem ignorant. — [2] Hujusmodi cognitio remunerationem *supernaturalem* non positive excludit, sed ab ea praescindit.

amicabilem conjunctionem cum Deo (justificationem) et inde profluentem fruitionem Dei supernaturalem admittatur, quin prius cognoverit, hujusmodi amicitiam et fruitionem sibi a Deo offerri, quin proinde illas determinate appetere potuerit. Siquidem naturae rationali non decet operari absque cognitione finis determinati, aut perduci ad finem, cujus exsistentiam ne suspicaverit quidem. Quum igitur harum rerum, i. e. conjunctionis amicabilis cum Deo per gratiam et gloriam, nullam notitiam habere possimus nisi per fidem proprie dictam, Deus lege positiva quidem sed admodum congruenti, imo connaturali ordinavit, ut nemo umquam absque actu fidei ad justificationem perveniat [1].

Ad quaestionem, *qua certudine* doctrina de absoluta necessitate **326.** fidei proprie sumptae retinenda sit, haec. SUAREZ: „Assertionem secundum quam nullus omnino in ullo tempore, loco vel occasione sine actu fidei justificari potuerit, in eo gradu certam esse censeo, ut absque errore in fide negari nequeat" [2]. CANUS: „Erroneum est, atque forsitan haereticum asserere, quemquam adultum sine fide per solam naturae cognitionem justificari" [3]. Quibus relatis, et praemissa observatione Suarezium et Canum hypothesim cognitionis ex creaturis quidem haustae sed per gratiam elevantem nobilitatae diserte non considerasse, haec subjungit cl. SCHMID: „Nos a judicio tam severo abstinendum ducimus et prudentiam commendamus; nihilominus theoria Gutberlet nostro judicio opinionibus probabilibus accenseri non meretur, unde theologia catholica ei serio attendere nequit" [4].

2. *Quaenam veritates necessitate medii explicite credendae sint.* — **327.** Vera fides necessario *universalis* est, hoc sensu, quod omnia quae Deus revelavit et ecclesia credenda proponit, *saltem implicite*

---

[1] Haec ordinatio, supposita universali voluntate salvifica, necessario importat, Deum cuilibet adulto providere media saltem remote sufficientia ad actum fidei in sensu stricto, ita ut nemo citra propriam culpam per totam vitam necessaria cognitione veritatis revelatae careat. Quomodo autem haec providentia secundum theologorum explicationem verificetur, dicemus in tract. *De Gratia.* — [2] *De Fide*, disp. **12**, s. **2**, n° 5. — [3] *Relect. de Sacr.* p. 2. q. 2 (apud SCHMID, l. c., p. 110). — [4] L. c., p. 110—112.

complecti debeat [1]. Verum actus fidei elici nequit, quin aliquod saltem objectum materiale explicite tangat; quaeritur igitur quasnam veritates ille actus fidei, qui absolute necessarius est ad justificationem et salutem, attingere debeat *explicite*, i. e. sub propriis terminis.

Porro (quamdiu praescinditur ab accuratiore determinatione sensus, de quo infra) omnes consentiunt, necessitate medii explicite credendos esse duos articulos, quos *Ep. ad. Heb.* diserte proponit, np. quod *Deus exsistit* et quod *inquirentibus se remunerator est* [2].

328. *Disputatur* autem num post Evangelium promulgatum necessitate medii explicite credenda sint mysteria *ss. Trinitatis* et *Christi redemptoris* (sub quo alii plus alii minus comprehendunt). Dico: post Evangelium promulgatum, nam omnibus fatentibus sub lege veteri nec ss, Trinitas nec Redemptio per Deum incarnatum et morientem ita clare revelatae fuerunt, ut ab omnibus possent agnosci.

Sententia *affirmans* imprimis nititur effatis s. Scripturae, quae fidem in Christum ut necessariam ad salutem requirunt [3]. Hinc autem inferri solet necessitas fidei explicitae in ss, Trinitatem, nam „mysterium incarnationis Christi explicite credi non potest sine fide Trinitatis, quia in mysterio incarnationis Christi hoc continetur, quod Filius Dei carnem assumpserit, quod per gratiam Spiritus s. mundum renovaverit, et iterum quod de Spiritu s. conceptus fuerit" [4].

Sententia *negans* [5] contendit, necessitatem medii pro his mysteriis probari non posse, neque ex natura rei rationibus intestinis (secus enim etiam ante Christum affuisset), neque positiva ordinatione Dei in Novo Testamento. Effata enim Scripturae quae afferuntur aut efficaciam tantum fidei in Christum extollunt, aut loquuntur de necessitate meritorum et gratiae Christi, aut intellegi possunt de necessitate fidei implicitae et explicitae supposito facto praedi-

---

[1] Cfr. supra n° **184** c. et **211**. — [2] Pro memoria tantum adjicimus prop. ab Innocentio XI damnatam: *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.* DENZ. n° 1172. — [3] *Jo.* **3**, 14 seq.; **5**, 24; **8**, 24; **11**, 25; **17**, 3; *Act.* **4**, 11—12; **26**, 15—18; *Rom.* **3**, 22—23; *Gal.* **2**, 16. Ceterum cfr. BILLUART. *De fide*, diss. 3, art. 2. — [4] *S. Th.* II, II, **2**, 8 c. — [5] Cfr. v.s. SUAREZ, *De Fide*, disp. **12**, s, 4; LUGO, *De Fide*, disp. **12**, n° **91** seq.; SCHMID, l. c., p. 130 seq.

cationis. Mysterium ss. Trinitatis quod spectat, addunt fidem explicitam Redemptionis, i. e. Dei incarnati et pro nobis morientis saltem in confuso haberi posse quin explicite cognoscatur trinitas personarum in Deo.

Speculative loquendo sententia negans videtur longe probabilior, **329.** saltem si intellegatur necessitas medii absoluta seu indispensabilis. Nam *per viam ordinariam* nemo adultus ad justificationem perveniet nisi prius explicite in Christum redemptorem et ita in ss. Trinitatem crediderit. Quomodo enim sine hac fide ecclesiam ingredi et fidem suscipere vellet? Hinc etiam explicari putamus distinctionem, quam ponunt nonnulli ex patronis sententiae negantis, dicendo, fidem explicitam horum mysteriorum in N. T. esse medium necessarium in re vel in voto [1]. Nam qui extraordinarie absque actuali cognitione Trinitatis et Redemptionis justificatus esset, certe quam primum hos articulos addiscere deberet, ut viam salutis ordinariam, ecclesiam scil. Christi, ingredi vel in ea remanere posset.

Practice autem, quamdiu fieri potest, sequenda est sententia affirmans, quae est tutior [2].

Scholion, *De sensu duorum articulorum principalium.* — Com- **330.** munis doctrina est, vi secundi articuli credendum esse Deum *remuneratorem*, non utcumque, sed *in ordine supernaturali*. Et ita veritas necessitate medii fide tenenda differt a veritate, quam naturali ratione cognoscere possumus. Minime tamen requiritur in credenti notio distincta praemii *supernaturalis*, sed sufficit ut apprehendatur sub notione confusa praemii *revelatione promissi*. Et ita res practice

[1] Suarez, l. c., n° 19; De Lugo, l. c., n° 107. — [2] Ab Innocentio XI damnata est prop.: „Absolutionis capax est homo, quamtumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium ss. Trinitatis et Incarnationis d. n. J. C." (Denz. n° 1214). Ad quaestionem: „Utrum antequam adulto conferatur baptismus minister teneatur ei explicare omnia fidei nostrae mysteria, praesertim si est moribundus, quia hoc perturbaret mentem illius. An non sufficeret, si moribundus promitteret fore ut ubi e morbo convalescet, instruendum se curet."; *S. Cong. Inquis.* respondit: „Non sufficere promissionem, sed missionarium teneri adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare mysteria fidei, quae sunt necessaria necessitate medii, ut sunt praecipue mysteria Trinitatis et Incarnationis." Decr. 25 Jan. 1703, iterum datum 30 Mart. 1898; cfr. *Arch. f. k. Kirchenrecht*, 1898, p. 797.

nullam difficultatem parit, quicumque enim fide proprie dicta i. e. propter auctoritatem Dei revelantis, credit, Deum inquirentes se remuneraturum esse, eo ipso credit, Deum remuneraturum esse *secundum suam promissionem*.

Primum articulum multi theologi intellegunt de nuda exsistentia unius veri Dei; sed melius dicitur vi hujus articuli credendam esse *exsistentiam Dei, ut est causa gratiae* seu justificationis, ut est supernaturaliter cum hominibus communicans, ut est adjuvans hominem ad finem supernaturalem, ut habens providentiam de homine ultra exigentiam naturae; quae omnia in unum recidunt. [1] — Sane nulla ratio interna assignari potest, quare absolute necessarium esset pro omni homine fide proprie dicta credere hunc articulum distinctum, si nihil complecteret quod naturalem rationem superat. Si necessaria medii coarctarentur ad nudam exsistentiam summi Numinis, qui sit remunerator supernaturalis, quare non sufficeret philosopho scire exsistentiam Dei et credere remuneratorem supernaturalem? Hinc s. THOMAS ad objectionem: „Actus fidei non requiritur ad justificationem, nisi in quantum per fidem homo cognoscit Deum; sed etiam per cognitionem naturalem potest homo Deum cognoscere; ergo non requiritur actus fidei ad justificationem", respondet; „Dicendum quod per cognitionem naturalem homo non convertitur in Deum, *in quantum est objectum beatitudinis et justificationis causa*: unde talis cognitio non sufficit ad justificationem" [2]. Et alibi: „Dicendum, quod Deum esse simpliciter non est articulus [fidei], sed Deum esse, sicut fides supponit, scil. *habentem curam de omnibus, remunerantem* et punientem, ut patet per apostolum *Heb.* 11, qui sic determinat quia est et quia remunerator est" [3]. — Ceterum etiam haec differentia practicam difficultatem non habet. Nemo catholicus ambigit, vi duorum articulorum creden-

---

[1] Cfr. v. g. BILLUART, *De fide*, diss. 3, a. 1. dico 2; BILLOT, *De virt. inf.* p. 325—326. — [2] *S. Th.* I, II, **113**, 4 ad 3. — [3] *In III Sent.* dist. 25, q. 1, a. 2, ad 2. Alio ordine sed in eumdem sensum completum hos duos articulos exponit SCHEEBEN: „Accedentem ad Deum oportet credere, quia est (nämlich *est* nicht bloss utcumque, sondern est *inquirendus*, also als Gegenstand des beseligenden Besitzes) et inquirentibus se remunerator sit (d. h. der uns durch seine Macht und Güte in den Besitz seiner selbst setzt)". *Handb. der kath. Dogm.* I, p. 305. Huic explicationi favet *S. Th.* II, II, **1**. 7c.

dum esse Deum modo supernaturali tum nobis providentem seu adjuvantem, tum nos remunerantem. Quicumque autem fide proprie dicta credit Deum exsistere, necessario credit Deum, ut se modo supernaturali revelantem, i. e. *ut ultra naturae exigentiam nobiscum communicantem*, idque (ut patet ex altero articulo adjecto) in ordine ad supernaturalem remunerationem.

APPENDIX

De habitudine fidei et rationis [1]

Pro complemento doctrinae breviter consideranda est mutua relatio fidei et rationis, de qua conc. vatic. const. *De fide*, cp. 4. — Nomine *fidei* intelligitur fides tum subjectiva tum objectiva, nomine *rationis* designatur non solum principium naturale cognitionis intellectivae, sed etiam scientiae naturales.

Assertio 1. *Fides et ratio constituunt duplicem ordinem cognitionis, ab invicem vere distinctum.* **331.**

Tenendum est: **a.** contra *fideistas* seu traditionalistas, qui, docendo rationem ex se nullum veritatem idealem certo cognoscere posse, fidem primitivae revelationis unicum fontem nostrae cognitionis de rebus methaphysicis et moralibus statuebant. — **b.** Contra *rationalistas*, qui rationem unicum cognitionis principium proclamando, docent nullam dari veritatem, quam ratio ex suis principiis invenire nequeat [2]. — Nonnulli semi-rationalistae dixerunt, nullam dari veritatem, quam ratio, dummodo illi revelatione proponatur, intellegere ac demonstrare non valeat [3].

Fides et cognitio naturalis *differunt*:

a. *Principio*, quod in scientia naturali est solus intellectus, in fide intellectus supernaturali lumine auctus.

[1] Cfr. v. g. V. Cathrein. *Glauben u. Wissen* (1903). cp. III; Einig, *Glauben und Wissen in wechselseitiger Förderung*, 1906. — [2] *Syll.* prop. 4; Conc. vatic. const. *De fide*, can. II, 3. — [3] Günther, Froschammer.

b. *Objecto materiali*; scientia illas tantum complectitur veritates, quae rationis ambitum non excedunt; fides autem etiam et primario versatur circa res, quae intellectum superant: mysteria.

c. *Objecto formali* seu motivo, quod in scientia est evidentia rei (aut auctoritas humana), in fide auctoritas Dei revelantis.

332. Inferes, fidem sub triplici respectu scientiam *superare*: habet siquidem principium nobilius, objectum altius, motivum praestantius. Sequitur in rebus religiosis, rationem fidei (philosophiam theologiae) *ancillari*, non dominari debere [1]. LEO XIII: „Cum compertum sit plurimas ex ordine supernaturali veritates esse accipiendas, quae cujuslibet ingenii longe vincunt acumen, ratio humana propriae infirmitatis conscia, majora se affectare non audeat, neque easdem veritates negare, neve propria virtute metiri, neu pro libitu interpretari; sed ea potius plena atque humili fide suscipiat et summi honoris loco habeat, in modum ancillae et pedissequae famulari coelestibus doctrinis, easque ratione Dei beneficio attingere" [2].

333. **Assertio 2.** *Inter fidem et rationem nulla umquam vera dissensio exsistere potest.* Conc. vatic.: „Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen umquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest, cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit, Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero umquam contradicere. Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur" [3].

334. *Objici* solet effatum TERTULLIANI: „Credo, quia ineptum". *Resp.* Marcion veritatem carnis Christi negabat, quia ipsi stultum videbatur admittere Deum in utero Virginis latentem, in pannis vagientem, cet. Tertullianus respondit: secundum ipsius Christi et b. Pauli verba, nonnulla inveniri debent in Evangelio, quae hominibus stulta videantur et confusionem generent [4]. Atqui nihil stulti,

[1] Ep. Pii IX ad Ep. colon. 15 Jun. 1867. — [2] Enc. *Aeterni Patris*, in *Alloc. Leonis XIII* (Ed. Desclée) I, p. 94. — [3] Const. *De Fide*, cp. 4. — [4] *Luc.* 9, 26: „Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua" — *I Cor.* 1, 23: „Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam".

nihil indigni in Evangelio invenio nisi humilitates Dei incarnati: „Alias non invenio materias confusionis, quae me per contemptum ruboris probent bene impudentem et feliciter stultum. Crucifixus est Dei filius; non pudet, quia pudendum! Et mortuus est Dei filius; prorsus credibile, quia ineptum est! Et sepultus resurrexit; certum est, quia impossibile!" [1]. — Necesse non est, admirari rethoricam doctoris africani, sed sensus in contextu nullam difficultatem habet.

Assertio 3, *Fides et ratio „opem sibi mutuam ferunt"* [2] **335.**

1⁰ *Ratio* opitulatur fidei, nam:

a. „Recta ratio fidei fundamenta demonstrat". Probando exsistentiam Dei et praecipua ejus attributa, libertatem et immortalitatem animae humanae, exsistentiam revelationis, veritatem ecclesiae catholicae, ratio viam sternit ad fidem: *apologetica*.

b. Ratio „fidei lumine illustrata, rerum divinarum scientiam [s. theologiam] excolit". Veritates revelatas e fontibus revelationis eruit et probat: *theologia positiva*; earum sensum uberius exponere satagit; eas analogiis e rebus naturalibus petitis illustrat et commendat; nexum, quem inter se et cum veritatibus rationalibus habent, manifestat; totam doctrinam sacram in unum systema congerit: *theologia scholastica*. Similiter ratio veritates fidei defendit, ostendendo eas contradictionis accusari non posse, aut (contra haereticos) eas in fontibus revelationis vere contineri: *theologia polemica*.

2⁰ *Fides* opitulatur rationi, nam: **336.**

a. „Rationem ab erroribus liberat". Philosopho christiano fides est velut „stella rectrix", cujus luce a multis erroribus imprimis in materia religionis et ethicae naturalis praeservatur, uti facile patet, si philosophia christiana comparatur cum lucubrationibus tum antiquorum tum recentiorum, qui revelationem aut ignorarunt aut neglexerunt.

b. „Rationem multiplici cognitione instruit"; cognitione scil.

[1] *De carne Christi*, 5. — [2] Verba sunt conc. vatic. l. c.; cfr. Enc. *Aeterni Patris*, l. c, p. 90—96.

tum plurium veritatum, quae, etsi humanae rationi per se imperviae non sunt, per fidem citius, certius, communius percipiuntur; tum mysteriorum, quae rationis captum excedunt. Verum quidem est, mysteria revelata a nobis non cognosci scientifice, ita np. ut positive intellegantur, ex principiis rationalibus demonstrentur, inter ambitum alicujus scientiae locum suum inveniant. Nihilominus fides mysteriorum summam cognitionis nostrae vere auget, idque in materia nobilissima nec sine magna utilitate practica. Siquidem minime verum est, mysteria revelata nullum sensum positivum menti afferre.

337. Scholion. Ex dictis facile respondetur iis, qui fidem et ecclesiam scientiarum culturae obesse dictitant.

1° Altissime persuasum ecclesiae est, nullum verae scientiae eventum fidei contradicere posse; hinc non est, quare cultores scientiarum eorumque investigationes timeret. Quum autem commoda, ex artium ac disciplinarum progressu ad humanam vitam dimanantia, nec ignoret nec despiciat; quum praeterea sciat, vix ullam dari disciplinam, quae, proprius remotius, ad defensionem fidei et scientiae theologicae progressum non conferat, ecclesia studia etiam profana aestimat, commendat, imo pro viribus promovere solet. Sane religionem et bonos mores pluris aestimat quam scientiam atque culturam, quippe quae et inferioris ordinis bona sunt et minorem populis utilitatem afferunt. Quodsi in iis, quae religionem ejusque fundamenta nonnihil tangunt, prudentiam quandoque commendat, nec statim omnibus acclamat, quae aut satis temere proferuntur, aut vix dissimulata intentione religionem impugnandi ventilantur, ét jure suo utitur, ét ipsi verae scientiae dignitati consulit. Siquidem scientiarum profectui inconsulta novitatis prurigo non minus nocet quam conservatismus immobilis.

338. 2° Neque verum est, ecclesiam justam libertatem scientiae praeripere. Non prohibet, quominus singulae disciplinae propriis principiis, propriaque methodo in sua ditione utantur; non exigit, ut aliquid tamquam scientiae eventus accipiatur quod talis non est; non vetat, quominus omnia retineantur, quae reapse evidenti

ratione probantur. — Unum cavet, ne tamquam legitima scientiae conclusio accipiatur sententia, quae sive immediate, sive mediate revelato dogmati certo opponitur, et quae proinde falsa est. Atqui hac agendi ratione scientiarum cultores legitima libertate non magis fraudantur, quam nauta qui apposito lumine monetur, ut latentem scopulum evitet, aut discipulus, cui magister veram quaestionis arithmeticae solutionem in antecessum indicavit. Numquid scientiae errore proficiunt aut eruditi errando nobilitantur? Nonne omnis scientia natura sua ligatur veritate?

Unum concedimus. Ubi sententia, quae habetur conclusio aut **339.** postulatum scientiae, judicatur a magisterio authentico non infallibili, error non est omnino impossibilis. Igitur absolute loquendo fieri potest, ut per hujusmodi judicium libertas eruditorum ad tempus plus aequo restringatur et scientiae profectus aliquantulum impediatur. At casus ille est exceptio, quae non nisi per accidens occurrit et, teste historia, perquam rarissime evenit. Damnum igitur, quod scientia in aliquo casu particulari subire forte poterit (non a fide, nec stricte loquendo ab ecclesia, sed) a fallibili tribunali ecclesiastico, damnum illud compensatur et longe superatur utilitatibus, quas fides et ecclesia, imo ipsa illa tribunalia ecclesiastica ei in aliis attulerunt. Quodsi quaesieris, quid hucusque magis obfuerit scientiarum profectui et imprimis bono communi societatis, rarissimus ille error tribunalium ecclesiasticorum an praeacceptae opiniones eorum, qui nihil magis curant, quam ut apparatu scientifico undique collecto, religionem, fidem, ecclesiam impugnent, responsum haud dubium est.

INDEX ANALYCTICUS

DE FONTIBUS REVELATIONIS

Pag.

Introductio 1
CAPUT I. De s. Scriptura 7
ART. I. De canone s. Scripturae 8
ART. II. De exsistentia inspirationis 17
ART. III. De natura et consectariis inspirationis 35
ART. IV. De iis, quae ad usum s. Scripturae pertinent 67
§ 1. De s. Scripturae sensu 67
§ 2. De s. Scripturae interpretatione et lectione 72
§ 3. De authentia Vulgatae 85
CAPUT II. De s. Traditione 92
ART. I. De s. Traditionis exsistentia 97
ART. II. De s. Traditionis conservatione 105
ART. III. De quibusdam monumentis Traditionis in specie 113
§ 1. De Symbolis fidei 113
§ 2. De Scriptis ss. Patrum 116

DE FIDE DIVINA

Introductio: De notione et divisione fidei 124
CAPUT I. De objecto fidei divinae 129
ART. I. De objecto formali fidei divinae 130
ART. II. De objecto materiali fidei simpliciter divinae 134
ART. III. De objecto materiali fidei divino-catholicae 144
ART. IV. De incremento objecti materialis fidei catholicae 150
ART. V. De veritatibus theologicis 172
ART. VI. De censuris theologicis 184
CAPUT II. De actu fidei divinae 190
ART. I. De principiis subjectivis actus fidei 191
ART. II. De praeparatione actus fidei 194
§ 1. De praeparatione fidei ex parte intellectus 194
§ 2. De praeparatione fidei ex parte voluntatis 204
ART. III. De analysi fidei 209
ART. IV. De proprietatibus fidei 220
ART. V. De subjecto et necessitate fidei 232
Appendix. De habitudine fidei et rationis 241
Index alphabeticus 247

INDEX ALPHABETICUS

(Numeri indicant paginas)

Ἀναγιγνωσκόμεα, 13, 16.
Analogia fidei in interpretanda Scriptura, 80.
Analysis fidei, 209; sententia Suarez, 211; — Lugonis, 212; — Billot, 214.
Ἀντιλεγόμενα, 9, 16.
Apocryphum, quid, 9; 11.
Apostolatus, num criterium inspirationis, 30.
Apostoli, eorum scientia religionis perfectissima, 154.
Apostolicum symbolum, 113.
Apparentia externa quoad phaenomena naturae, 54.
Approbatio Dei pro iis quae in Scriptura referuntur, 49, 56, — ecclesiastica revelationis privatae, 143; — conciliorum particularium, 145.
Articulus fidei, quid, 149, — distinctio art. fundamentalium et non-fundamentalium, 150.
Assensus fidei num virtualiter duplex, 210, 215 — num conclusio logica, 219.
Assensus religiosus, quid, 179, debetur magisterio authentico, 180, 183.
Assensus theologicus, 174.
Auctor Scripturae Deus, 18, — principalis et instrumentalis, 36, habitudo eorum ad invicem 36, 37, ad effectum, 40; — secundarius, vide *hagiographus*.
Auctoritas Dei revelantis est objectum formale fidei, 131; — ss. patrum in interpretanda Scriptura, 79; in materia traditionis, 118, — theologorum, 121, 146.
S. Augustinus pluralitatem sensus literalis admisit, 69; dicit s. Hieronymum dictante „s. Spiritu" scripsisse, 29; inspirationem non limitat ad res religiosas, 34.
Authentia Vulgatae, 85.
Authentica propositio, quomodo habeatur, 178, ei debetur assensus religiosus, 178.
Αυτόπιστια Scripturae, 18.

Bainvel citatur, 203, 206, 208.
Bavinck de jure cujuslibet fidelis contra ecclesiam, 4; — de periculis doctrinam de perspicuitate Scripturae sequentibus, 73; testatur primis temporibus traditionem magni fuisse aestimatam, 102, 105.
Beati actum fidei non habent, 232.
Bonfrère docuit inspirationem concomitantem, 37.

Caiphas non potest aequiparari hagiographis, 49.

Calvinis de *αὐτόπιστια* Scripturae, 18.

Canon Scripturae quid, 8; alexandr. 10, palaestin., 10, trident. 11; protestantium, 10; libri proto- et deutero-canonici, 9; probatur canon tridentinus, 11.

Canonicitas, 8; — s. librorum probatur, 11; dubitationes patrum de quibusdam libris, 12, 15, 16.

Canon Vinc. lerin. 111.

Captivatio intellectus, quid, 228.

Causa efficiens explicationis dogmatum, 163.

Causa principalis, quid faciat respectu instrumenti, 36.

Catholici duos agnoscunt fontes revelationis, 3, 96; duplicem regulam fidei, 4.

Censura theologica, 184; — doctrinalis et authentica, 184; modi, quibus infligitur, 185; censurarum explicatio, 186; propositionum damnatarum usus, 188.

Certitudo de facto revelationis ante fidem requisita, 195; sufficit moralis, et vulgaris, 195; imo et respectiva, 196; qua ratione catholici rudes et pueri eam habere soleant, 198; num in catholico inculpabiliter labefactari possit, 201.

Charitas quo sensu forma fidei, 128.

Chiliasmus apud veteres patres, 119.

Citationes explicitae in Scriptura, 56; implicitae, 56.

Commercium ecclesiarum primis saeculis, 108.

Commissio pontificia de re biblica de citationibus implicitis, 56; de externa tantum apparentia historiae, 62; de indole historica, 3 priorum cap. Geneseos, 63; de libro Isaiae p. 65; de authentia mosaica Pentateuchi, 65.

Concilium trid. de canone Scripturae, 11; de auctoribus secundariis librorum Scripturae, 65; de interpretatione Scripturae, 73; de authentia Vulgatae, 87; de divina traditione, 93; de necessitate fidei ad justificationem, 235.

Concilium vatic. de duplici fonte revelationis, 3; de inspiratione Scripturae, 18; schema de s. libris ecclesiae „per apostolos" traditis, 67; de interpretatione Scripturae, 73; de objecto materiali fidei catholicae, 145; de immutabilitate dogmatum, 170; de necessitate fidei ad justificationem, 235.

Conclusio logica; num assensus fidei sit —, 219.

Conclusio theologica, quid, 136, 173.

Confessio belgica de criterio inspirationis, 18.

Confessiones fidei, quid valeant apud protestantes, 4.

Congregationes rom. habent magisterium authenticum, 179; earum decretis debetur assensus religiosus, 181.

Consensus patrum in interpretanda Scriputra, 79; — ecclesiarum criterium traditionis, 111.

Conservatio traditionis divinae, 105 seq.

Controversiae occasio profectus fidei, 161.

Cor habet suas rationes ad credendum, 208.
Credere Deum, Deo, in Deum, 142; — in sensu pleno et in sensu analogo, 216.
Credibilitas, vide *judicium credibilitatis*.
Criterium inspirationis, 18, 30; — genuinae traditionis, 106.

Daemonum fides, 216, 227.
Damnati actum fidei non habent, 232.
Daniel, liber — a quibusdam habetur apocalypticus, 57.
Defectio ab ecclesia, num semper peccaminosa, 201.
Definitio per solemne judicium, 145; — per magisterium ordinarium et universale, 146.
Deus est prima veritas, 131.
Discerniculum fidei, 197.
Doctores ecclesiae quid, 117; quinam, 117.
Documenta in Scriptura inserta explicite, 56, implicite, 56.
Dogma fidei, quid, 148; — necessarium et utile, 149; — quoad nos et quoad se, 150; num numerus dogmatum crescat, 151 seq.; necessitate medii cognoscenda, 237.
Mc. **Donald** perperam distinguit inter sensum Dei et sensum hagiographi, 49.
Dubitatio de facto revelationis, quomodo tractanda, 200.
Duhamel admissibilem duxit inspirationem subsequentem, 36.

Duperron citatur, 209.

Ecclesia est authentica interpres Scripturae, 73, 77; nihilominus non est supra Scripturam, 78; inde non interimuntur studia biblica, 78; — quibus modis veritates revelatas credendas proponat, 145: scientiarum culturae non obstat, 244.
Ecclesiastes non videtur esse Salomonis, 55.
Editio vulgata, quid, 85; vide *Vulgata*.
Error formalis quid, 52; excluditur in Scriptura, 52; — censura erroris, quid, 187.
Exsistentia Dei, num credi possit a philosopho, 223; quo sensu articulus principalis fidei, 240; — inspirationis probatur, 20; — traditionis divinae, 96; probatur, 97.
Extensio inspirationis ad omnes locos Scripturae, 32; ad verba cet. Scripturae, 46.
Evidentia perfecta attestantis num tollat obscuritatem fidei 225; ejus libertatem, 227.
Evolutio dogmatum, vide *profectus*.

Fidei proximum, quid, 150.
Fidelitas Vulgatae, 89.
Fides, acceptiones impropriae aut falsae, 125; notio genuina, 126; — pendet a voluntate 126; — humana, divina, ecclesiastica, 127; — historica, miraculorum, promissionum, 125; — scientifica et simplicis auctoritatis, 216.
Fides divina, definitio, 127; divisio, 128; objectum formale, 130; objectum materiale, 134 seq.; hujus incrementum, 150; principia subjectiva actus fidei, 191; praeparatio fidei ex parte intel-

lectus, 194 — ex parte voluntatis, 204; fidei analysis, 209, — proprietates, 220; veritas, 220; obscuritas, 221; libertas, 225; firmitas, 229; — inaequalitas, 230; — subjectum, 232; — necessitas, 234; — habitudo ad rationem, 241.

Fides ecclesiastica, 127; num differat a fide divina, 176; ad habitum fidei divinae refertur, 178; quaenam veritates fide ecclesiastica tenendae sint, 175.

Fides humana, quam lata pateat ejus provincia, 204.

Fides late dicta num aliquando sufficere possit ad justificationem, 234.

„Filioque" in Symbolo, 115.

Firmitas fidei, 229.

Fontes revelationis, quot, 3, 94 seq.

Formaliter revelatum, explicite, implicite, 134.

Franzelin de approbatione revelationum privatarum, 143; de analysi fidei, 212.

Genuinitas critica; num quaestio de ea solvi possit ex inspiratione, 64; non fuit definita a conc. trid. 65.

Girerd perperam distinguit inter sensum Dei et sensum hagiographi, 49.

Graeci schismatici de canone, 11.

Granderath de sensu obvio Scripturae non leviter relinquendo, 80.

Gratia, principium fidei, 191, 193; adjuvat ad judicium credibilitatis, 199, 209.

Günther, ejus theoria de evolutione dogmatis, 169.

Gutberlet opinatur fidem late dictam aliquando ad justificationem sufficere, 234.

Habitudo fidei et rationis, 241.

Haeresis, quid, 186; — occasio profectus fidei, 161.

Haeretici formales actum fidei non habent, 232; aliter materiales, 233.

Hagiographus est auctor instrumentalis Scripturae, 35; sub Deo habuit actionem vere humanam, 37; et individualem, 38; quo sensu „calamus" Dei 39; obscuritates cet. Scripturae in eum reducuntur, 40; quid motus Dei in eum effecit quoad intellertum, 42; quoad voluntatem, 44; quoad facultates exsecutrices, 45; num inspirationem suam cognoverit, 46; sensus hagiographi est sensus Dei, 49, 53; approbatio Dei, 50; num sensa hagiographi ut hominis a Deo approbentur, 50; sensus Dei invenitur quaerendo sensum hagiographi, 52; uti potuit quavis specie literaria in se honesta, 53; non debuit divinitus edoceri de rebus profanis, 53; potuit sequi externam apparentiam, 54; potuit adhibere locutiones ex opinione erronea profectas, 55; potuit alienam personam agere, 55; non spondet pro omni documento inserto, 56; potuit facere citationes implicitas, 56; num semper historiam stricte dictam scribere voluerit, 57.

Haneberg aliquando docuit inspirationem subsequentem, 36.

Harnack, ejus theoria de forma-

tione et evolutione dogmatis, 169; de commercio ecclesiarum antiquitus, 108.
Happel de historia interna librorum V. T., 64.
Henoch liber — probabilius adhibitus in Ep. Judae, 55.
Hermes distinguit fidem cognitionis et fidem cordis, 225.
s. **Hieronymus** de „lege historiae", 62; — auctor Vulgatae, 85.
Historia dogmatum, quid, 163.
Historiographia V. T., qualis a nonnullis recentioribus defenditur, 57.
Hostia, praesentia Christi sub *hac* hostia, num fide divina credibilis, 140.

Illustratio intellectus hagiographi, 43.
Imperfectiones styli, cet. in Scriptura debentur hagiographis, 40; iis haud aequiparantur erorres, 41.
Imprecationes in Psalmis, 50.
Impuritas impedimentum fidei, 205.
Inaequalitas fidei, 230.
Incrementum fidei, vide *profectus*.
Inerrantia Scripturae, 51 seq.
Infallibilitas Scripturae, 51 seq.
Initium fidei, quid, 193.
Inspiratio, notio, 18; ejus criterium, 18, 30; probatur ejus existentia, 20; ejus extensio ad omnes partes Scripturae, 32; spectari potest principative, entitative, terminative, 41; ejus natura fusius explicatur, 35; num hagiographi suam inspirationem cognoverint, 46; quaestio de inspiratione verbali, 46; consectarium primum: quae habentur in Sriptura sunt verbum Dei, 48; consectarium alterum: veritas Scripturae, 51; inspiratio et genuinitas critica, 64; inspiratio limitata et mitigata, 32; inspiratio subsequens, negativa, concomitans, 36; differt a revelatione, 44.
Inspiratum, num sit objectum fidei divinae, 142.
Instrumentum habet duas actiones, 37; vide *hagiographus*.
Intellectus hagiographi illustratur, 43; — principium eliciens fidei, 191.
Intentio loquentis facit ad quaestionem, quid formaliter revelatum sit, 139.
Interpretatio authentica Scripturae, 73, 77; regulae dogmaticae de interpretatione, 78; — ss. patrum, 120.
Irrevocabilitas fidei, 230.

Jahn docuit inspirationem negativam, 36.
Josephus de inspiratione V. T., 21.
p. **Joüon** de origine apost. ut citerio inspirationis, 30.
Judas ap. probabilius adhibuit librum Henoch, 55.
Judicium solemne ad proponendam revelationem, 145; quibusnam de causis detur, 148, 161.
Judicium credibilitatis et credenditatis, 202; quomodo pendeat a voluntate, 206.
Jurieu distinguit articulos fundamentales et non-fundamentales, 150.

Laberthonnière perperam describit fidem, 127; fidem implicitam, 129.
Lagrange, ejus opinio de libro Daniel, 57.
Lamentabili, decretum — 58, 59, 66.
Lectio s. Scripturae, 81, disciplina hodierna, 83.
Lederer minus recte sentit de objecto formali fidei, 130.
Legati pontificii in conc. trid. de authentia Vulgatae, 88.
Leo XIII de inspiratione non limitanda, 32; inspirationem describit, 41; de infallibili veritate Scripturae, 51; immerito dicitur praeconsecrasse principium de apparentia historiae in Scriptura, 61; de interpretatione Scripturae, 79; de textu primigenio consulendo, 91; de impulsu Spiritus s. ab influxu magisterii visibilis non separando, 164; de fide haereticorum, 232; quod ratio fidei ancillari debeat, 242.
Lepus ruminans, 54.
Le Roy, quid sit dogma, 149.
Lessius possibilem habuit inspirationem subsequentem, 36.
Libertas fidei, 225; num perfecta evidentia attestantis eam tollat, 227.
Libri canonici, 9; proto- et deutero canonici, 9; ecclesiastici, 13.
Loci theologici, 6; — per se et per accidens inspirati, 33; horum interpretatio, 74, 78 seq.
Loisy, ejus theoria de origine et evolutione dogmatis, 170.

Magisterium vivum medium princeps conservandae traditionis, 106; ejus valor naturalis, 108; causa efficiens explicationis dogmatum, 163; non est omniscium in materia fidei, 165.
Magisterium authenticum tantum, quinam habeant, 178; qualis assensus ei debeatur, 179.
Magisterium ordinarium et universale, quomodo res proponat credendas, 146.
Medium princeps conservandae tradidionis, 106; media subsidiaria, 109.
Monumenta traditionis, 110; eorem valor theologicus, 110; — in specie, 113 seq.
Motivum fidei diversimode accipitur, 130; motiva voluntatis ad credendum, 205, 208.
Motus voluntatis in hagiographis, 45.
Mythologica elementa in Scriptura, 54.

Necessitas fidei, 234; quaenam necessitate medii credenda, 237.
Newman de notis legitimae evolutionis religiosae, 166.

Objectum formale fidei divinae, 130; est auctoritas Dei revelantis, 131; num revelatio sit ejus elementum, 132; num propositio per ecclesiam ad illud pertineat, 133; sufficit ejus notitia habitualis, 133; in actu fidei non attingitur ut quod, sed ut quo, 216; num supernaturale, 219.
Objectum materiale fidei simpliciter divinae, 134; primarium, secundarium, accidentale, 141, 142; num revelationes privatae, 143; — fidei divino-catholicae,

144; simpliciter crevit sub V. T., 151; usque ad mortem apostolorum, 152; post mortem apostolorum non crescit simpliciter, 152; sed solum secundum quid, 153; ejus substantia semper eadem, 152.
Obscuritas Scripturae, 75; — fidei, 221; num idem possit esse simul scitum et creditum, 222; num perfecta evidentia attestantis tollat obscuritatem fidei, 225.
Obstacula fidei, 205.
Occasiones profectus fidei, 161.
Oeconomia novissima non amplius exspectanda, 173.
Ὁμολογούμενα, 9, 16.
Organum princeps conservandae traditionis divinae, 106.
Origo apostolica, num criterium inspirationis, 30; num absolute excludatur origo libri aut fragmenti canonici post mortem apostolorum, 66.

Papa immerito dicitur dominus traditionis, 107.
Pars, quid nomine partis intellegatur in decreto de authentia Vulgatae, 89.
Pascal citatur, 207.
Patres, quid, 116; eorum auctoritas quoad interpretationem Scripturae, 84, 91, quoad agnoscendas traditiones, 118; eorum interpretatio, 120; — antenicaeni quoad chiliasmum et subordinatianismum, 119.
s. **Paulus** de inspiratione V. T., 22; fidem definit, 128.
Perthes de societatibus, biblicis, 84.
s. **Petrus**, de inspiratione ep Pauli, 23.
Phaenomena naturalia in Scriptura secundum externam apparentiam describi potuerunt, 54.
Philo de inspiratione V. T., 21.
Pius credulitatis affectus, 191, 193.
Pius IX de auctoritate Congreg. rom. et consensu theologorum, 181.
Pius X de lectione s. Evangelii, 83.
Praeparatio fidei ex parte intellectus, 194; — voluntatis, 204.
Principia subjectiva actus fidei, 191.
Privata revelatio, num fide theologica credi possit ac debeat, 143; quo sensu ab ecclesia nonnumquam approbetur, 143.
Profectus fidei objectivus seu simpliciter, 151; obtinuit sub V. T. 151; tempore Christi et apostolorum, 152; postea non obtinet, 152; — subjectivus seu secundum quid, 153; admittendus est in ecclesia, 137; in quo potissimum consistat, 158; differt a profectu scientiae theologicae, 160; ejus occasiones, 161; ejus processus et stadia, 162; ejus causa efficiens, 163; — non importat mutationem, 165; notae genuini profectus secundum card. Newman, 166; theoriae falsae, 167; Harnack, 167; Sabatier, 168; Günther, 169; Loisy, 170.
Professiones fidei, 113, 115.
Propositio particularis, quae sub universali revelata comprehenditur mediante aliqua conditio-

ne, num fide divina credibilis, 139.
Propositio ecclesiae infallibilis requiritur ut res sit objectum fidei divino-catholicae, 144; fit per solemne judicium, 145 vel per magisterium ordinarium et universale, 146; quomodo a communibus fidelibus certo cognoscatur, 203; non pertinet ad objectum formale fidei, 133; — mere authentica quomodo habeatur, 178; qualis assensus ei debeatur, 179.
Proprietates fidei, 220.
Protestantes Scripturam habent unicum fontem revelationis, 3, 92; et unicam regulam fidei, 3; quid de canone Scripturae, 10; de criterio inspirationis, 18; de perspicuitate Scripturae, 72; de sufficientia Scripturae, 92, 96; quo sensu traditionem admittant 93; perperam dicunt, papam esse dominum traditionis, 107; quomodo accipiant fidem, 125, 191.
Psalterium romanum, gallicanum, 85.
Pueri, quomodo habere possint certitudinem de facto revelationis, 199.

Quicumque, symbolum, 115.

Redemptio, num necessitate medii cognoscenda, 238.
Regula fidei secundum protestantes, 3; secundum catholicos, 4.
Remuneratio, qualis — necessitate medii credenda sit, 239.
Res fidei et morum, 74.
Revelatio, quomodo differat ab inspiratione, 44; num sit elementum objecti formalis fidei, 132.
Revelatum quid, 134; — formaliter explicite, implicite, 135; — virtualiter tantum, 135; num sit objectum fidei divinae, 137; — privatim, num fide theologica credi possit ac debeat, 143; quid circa illud efficiat approbatio ecclesiae, 144.
Romanes citatur, 205.
Russi de canone, 11.

Sabatier de evolutione dogmatis, 168.
Sapientia, liber — non videtur esse Salomonis, 55.
Scriptores ecclesiastici, 117.
s. **Scriptura**, quid, 7; probatur canon tridentinus, 11; probatur ejus inspiratio, 20; etiam quoad res non religiosas, 32; quae in ea continentur sunt verbum Dei, 48; et infallibiliter vera, 51; ejus sensus, 67; literalis, 68, 69; consequens, 68; mysticus, 68, 70; accommodatus, 69; ejus obscuritas, 73, 75; interpretatio authentica, 77, 78; regulae dogmaticae interpretationis, 78; ejus lectio privata, 81; disciplina hodierna, 83; versiones catholicae in lingua vulgari ante reformationem impressae, 84; de Vulgata ejusque authentia, 85; Scripturae sufficientia secundum protestantes, 92, 97; quo sensu a quibusdam patribus admittatur, 105; est medium conservandae traditionis, 110.

Semeria citatur, 207.
Sensus Scripturae, 67; literalis, 68, 69; consequens, 68; mysticus, 68, 70; accomodatus, 69.
Septuaginta a Sixto V approbata, 86.
Silentium obsequiosum, 180, 183.
Sixtus V approbavit ed. LXX Interpretum, 86.
Societates biblicae, 84.
Species literaria in Scriptura, 53.
Stadia explicationis dogmatum, 162.
Subjectum fidei, 232.
Subordinatianismus apud veteres patres, 119.
Substantia fidei semper eadem, 152.
Successio apostolica medium conservandae traditionis, 106; ejus valor naturalis, 108.
Superbia impedimentum fidei, 205.
Syllabus, 189; ejus valor, 189; usus, 190.
Symbolum fidei, quid, 113; — apostolicum, 113; — niceaeno-constantin., 115; — athanasianum, 115.

Temeritas, censura, 187.
Tertullianus, ejus effatum: credo, quia ineptum, 242.
Theologi causa efficiens subordinata explicationis dogmatum, 164; — eorum auctoritas, 121, eorum consensus quandonam mereatur assensum religiosum, 183.
Theologiae profectus differt a profectu fidei, 160.
Θεόπνευστος 22.
s. **Thomas**, num pluralitatem sensus literalis admittat, 70; num idem simul sciri et credi possit, 223.
Traditio in sensu lato, quid, 2.
Traditio oralis, quid, 92, 94; divina et ecclesiastica, 92; inhaesiva, declarativa, distincta (constitutiva), 93, 96; num fons distinctus a Scriptura, eamque excedens, 97; probatur, 97; medium princeps conservationis, 106; media subsidiaria conservationis, 109; monumenta traditionis in genere, 110; in specie, 113; symbola fidei, 113; scripta ss. patrum, 116.
ss. **Trinitas**, num necessitate medii cognoscenda, 238.
Typologia in Scriptura admittenda, 70.

Valor theologicus monumentorum traditionis, 110; in specie, 113 seq.
Vega, de authentia Vulgatae, 88;
Verborum inspiratio, 46.
Verbum Dei sunt quae continentur in Scriptura, sive ratione consignationis tantum, 49; sive etiam in seipsis, 49.
Veritas Scripturae, 51 seq.; opiniones de veritate relativa tantum, 57; — fidei, 220; num fide divina credi possit prop. non revelata, quam quis revelatam haberet, 221.
Veritas prima Deus, 132.
Veritates theologicae, quid, 173; cum revelatione connectuntur praesuppositive, 173; consecutive, 173; finaiter, 173; differunt a veritatibus per accidens inspiratis, 174; — infallibiliter propositae tenendae sunt fide ecclesiastica, 175; —

authentice propositae tenendae sunt assensu religioso, 178; item quas theologi unanimiter et constanter docent, 183.
Versiones catholicae in lingua vulgari ante reformationem impressae, 84.
Vincentius lerin., ejus canon, 111.
Virtualiter revelatum, 136; num objectum fidei divinae, 137.
Vocatio ad fidem, 193.
Voluntas hagiographi a Deo movetur, 45; — est principium imperans fidei 191, 226; — quotuplici modo ad fidem cooperetur, 204.
Vulgata, origo, 85; praestantia, 85; authentia, 87; gradus fidelitatis, 89.

Wilmers, de virtualiter revelatis, 139.

216
N738

3443

VAN NOORT G.

AUTHOR

TRACTATUS De Fontibus Revelationis nec non De Fide Divina

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER

. 216
N738

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

3443